DUODECIM ROSÆ MENSTRUÆ, ASPERSÆ GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS D. N. JESU CRUCIFIXI,

SIVE

Duodecim Exhortationes pro menſtrua Congregatione Sodalium Jeſu in cruce agonizantis; Quibus ardens devotio erga quinque ſanctisſima Vulnera ſuadetur: præſertim ſub recitatione Roſarii quinque SS. Vulnerum pro obtinenda ſancta morte.

Auctore

R. P. PHILIPPO KISELIO, Fuldenſi, è Societate JESU.



BAMBERGÆ,

Sumptibus JOANNIS ELIÆ HOFLING.

M DC LXXI.



ROSA MENSIS JANUARII.

ROSA PENTAPHILLA,

ASPERSA GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EX QUINQUE SS. VULNERIBUS JESU CRUCIFIXI.

EXHORTATIO I.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

De renovatione devotionis erga quinque SS. Vulnera.

§. 1. *Variæ rosæ variis statibus oblatæ pro xenio.*

§. 2. *Sodalibus agoniæ rosa pentaphilla quinque SS. Vulnerum.*

§. 3. *Cur SS. hæc vulnera comparentur rosis. Rosea verba sanctæ Gertrudis & sancti Bernardi ad vulnera pedum & manuum.*

§. 4. *Ad rosea vulnera lateris & cordis.*

§. 5. *Apostrophe ad Sodales.*

§. 6. *Salutationes Angelicæ, & orationes Dominicæ conversæ in rosas.*

§. 7. *Quale xenium Christus D. dederit S. Gertrudi.*

§. 8. *Effectuosus Epilogus.*



Die Circumcisionis pro spirituali xenio distribui rosas. Illustrissimo Principi, Domino nostro clementissimo, rosam sanctissimæ Trinitatis. Reverendissimo S. Ædis Capitulo & Bambergensi Clero, rosam pueri Jesu. Nobilitati & Magistratui rosam fontis B. Virginis; Conjugatis

§. 1. Variæ rosæ variis statibus oblatæ pro xenio.

 jugatis

jugatis rosas Majales vel sanctissimi Rosarii; Viduis rosas S. Ludwinæ, sive sanguineas lachrymas, quas solita fuit effundere in meditatione Dominicæ Passionis, præcipuè coram imagine Crucifixi, quas lachrymas appellabat suas rosas. Virginibus obtuli rosas S. Dorotheæ, allatas ex paradiso. Divitibus rosas S. Rithæ, S. Rosæ, S. Elisabethæ; Pauperibus rosam auream B. Virg. Peccatoribus rosas sancti Francisci sive Portiunculæ; Morituris rosas sanctæ Musæ & Alexandri Bertii, quibus DEI Mater illam in agone coronavit, hujus verò lectulum in supremo agone aspersit & ornavit. Fateor, me fuisse liberalem, non tamen adeò effusè, quin alias pulcherrimas & selectissimas reservarim pro amantissimis meis Sodalibus Christi in cruce agonizantis, quas decursu hujus anni, si Divinæ Providentiæ ita visum fuerit, liberali manu distribuam.

§. 2. *Sodalibus agonia rosa pentaphilla quinque SS. vulnerum.*

Rosa pentaphilla dicitur, quæ in quinque sese explicans folia, pulcherrimo colore & suavissimo odore nos recreat, & ob varias causas pulcherrimum est symbolum quinque SS. Vulnerum Jesu crucifixi. Itaq; cogitate, in primo & altero folio vos intueri duo SS. Vulnera pedum, in tertio & quarto duo stigmata manuum, in quinto denique hians & apertum latus atque cor dulcissim Salvatoris. O formosas rosas.

§. 3. *Cur SS. hæc vulnera comparentur rosis. Rosea verba S. Gertrudis & S. Bernardi ad vulnera pedum & manuum.*

Nemo miretur, me comparare Vulnera Crucifixi cum rosis. Hoc me docuit S. Gertrudis, quæ lib. 4 c. 35. ait, se quotidie egisse gratias SS. Trinitati pro roseis vulneribus sui unicè electi amatoris. Didici id ex oratione quotidiana S. Bern. quam [teste B. Hug. Carth.] cum recitaret coram Crucifixo, ad eum se Christus inclinavit, & dulciter fuit amplexatus, salutando vulnera SS. pedum ita ait: *Plagas tuas rubicundas* [scilicet veluti rosas] *& fixuras tam profundas, cordi meo fac inscribi, ut configar totus tibi, te modis amans omnibus.* SS. Vulnera manuum his mellifluis salutat verbis: *Manus sanctæ vos avete, rosis novis adimpletæ, ad crucem dirè junctæ, & crudeli ferro punctæ, tot guttis decurrentibus; tot rosis decidentibus. Ecce fluit circumquaq; manu tuâ de utraque, sanguis tuus copiosè, rubicundus instar rosæ, magnæ salutis pretium. In cruore tuo totum, me commendo tibi totum, tuæ sanctæ manus istæ, me defendant Iesu Christe, extremis in periculis.*

De

§. 4. *Ad rosea vulnera lateris & cordis.*

De vulnere sanctissimi lateris ait S. Bern. *Salve mitis apertura, de qua manat vena pura, porta patens & profunda, super rosam rubicunda, medela salutifera. Odor tuus super vinum, virus pellit serpentinum, potus tuus, potus vitæ, qui sititis, huc venite, te dulce vulnus aperi.* Vulnus dulcissimi cordis ita alloquitur: *Rosa cordis aperire, cujus odor fragrat mire, te dignare dilatare, fac cor meum anhelare, flammâ desiderii: da cor cordi sociari.*

§. 5. *Apostrophe ad Sodales.*

Sodales amantissimi, facilè causam advertitis, propter quam pro strena vobis offeram rosam pentaphyllam quinque SS. Vulnerum, ejusq; quinq; folia inscripta aureis verbis S. Gerturdis & S. Bern. hoc opto, ut cum illa hoc anno incipiatis quotidie ferventes agere gratias SS. Trinitati, pro roseis vulneribus dilectissimi nostri amatoris; deinde, ut mellifluis verbis S. Bern. vel aliis precibus in honorem quinque SS. Vulnerum illa frequentissimè salutetis.

§. 6. *Salutationes Angelicæ & orationes Dominicæ conversæ in rosas.*

Referunt historiæ, aliquos clientes vel sodales B. Virg. tantâ animi devotione in recitatione Rosarii, illi obtulisse corde & ore salutationes angelicas, ut illis, postquam ab astantibus Angelis conversæ fuerunt in candidas rosas, magna Dei mater summopere ab illis visa fuerit delectari, imò permiserit illis augustissimum suum verticem coronari. Eja mei Sodales, mox coram venerabili Sacramento, coram hac statua nostri Crucifixi recitabimus Rosarium quinque SS. Vulnerum; quæso vos, illo fervore, illa attentione & devotione, hoc præstate, ut omnes Dominicæ Orationes, numero 28. & quinque salutationes Angelicæ in rubras convertantur rosas, ut aureis filis SS. desideriorum componantur in roseum sertum, quo vulneratum Christi caput coronetur.

§. 7. *Quale xenium Christus D. dederit S. Gertrudi.*


Dum pentaphyllam rosam pro xenio vobis offero, & à vobis exigo, ut initio hujus anni devotionem erga SS. Vulnera [cujus hæc rosa est symbolum] fervore quo potestis, renovetis, memores vos esse cupio illius quod lego in vita S. Gertrudis: Die circumcisionis dixit sponso suo: *O amator suavissime: dignare congregationi nostræ tibi dilectæ novum annum dare* Respondit Christus D. *Renovamini spiritu mentis vestræ; circumcidimini per considerationē regulæ vestræ.* & subjunxit hęc verba: *Si quis hujus anni initio per verā cordis*

compunctionem retractaverit, quidquid contra regulam deliquit, & proposuerit emendationem, cum novo fervore; illi volo adesse, illum protegam. Et si quis caverit, quidquid voluntati meæ contrarium est, & se suaque omnia ad beneplacitum meum dirigere studuerit, ego de splendore divini cordis mei lumen cognitionis ei administrabo, & ita dirigam, &c. ut dignissimum xenium mihi componere possit.

§. 8. *Affectuosus Epilogus.* O mi Jesu crucifixe! aspice hanc quoque dilectam tibi congregationem. O amator suavissime, aspice Sodales, quos diligis, & vicissim te diligunt? dignare illis dare novum annum. Nunquid idem mecum desideratis mei Sodales? Eja renovamini spiritu mentis vestræ; in omnibus, sed præcipuè in devotione erga sanctissima Vulnera; quorum cultus & amor est unum ex præcipuis mediis, quibus speramus nos obtenturos sanctam mortem. Initio itaque hujus anni per veram compunctionem retractate, quidquid dereliquistis. Cavete omnia, quæ Divinæ voluntati sunt contrariæ, vos, vestraque omnia ad Jesu crucifixi beneplacitum & exemplum studete dirigere; ipse de splendore Divini cordis sui illuminatos ita diriget, ut etiam in umbra mortis non erremus. Amate hanc rosam pentaphyllam; in cujus foliis semper, sed præsertim in agone reperiemus vires & solatium; odor illius contra hostes nos confortabit; dulcissimus & roseus ejus liquor pretiosus CHRISTI crucifixi sanguis nos refrigerabit, sub umbra horum foliorum, pulcherrimæ hujus rosæ; expirabimus in JESU dulce latus.



ROSA



ROSA MENSIS FEBRUARII.

ROSA JERICHUNTINA,

ASPERSA GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EFFUSI IN CIRCUMCISIONE.

EXHORTATIO II.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

TRes fructus devotionis erga sanctissima Vulnera CHRISTI Domini.

§ 1. *Quinque SS. Vulnera Crucifixi sunt quinque pulcherrimæ rosæ.*

§. 2. *Descriptio rosæ Jerichuntinæ.*

§. 3. *Rosa Jerichuntina indicium mortis vel vitæ.*

§. 4. *Mortis; si quis sine motu devotionis illas aspiciat.*

§. 5. *Vitæ; si nobis illæ placeant.*

§. 6. *Rosa Jerichuntina, sive devotio erga quinque sanctissima vulnera CHRISTI à nobis avertit fulmen terribilis sententiæ:* Ite.

§. 7. *Rosa Jerichuntina generat lætitiam.*

PRæterito mense pro spirituali xenio hujus anni 1670. meis Sodalibus obtuli rosam pentaphyllam, sive quinque pulcherrimas rosas quinque SS. Vulnerum Christi Jesu crucifixi! pios & affectuosos oculos conjicite in tenebratas manus, ecce binas rosas, de quibus S. Bernardus dixit ad Christum crucifixum: *Ecce fluit circumquaque, manu tua de utraque, sanguis tuus*

§. 1. *Quinque SS. Vulnera crucifixi sunt quinque pulcherrimæ rosæ.*

guis tuus copiose, rubicundus instar rosa. Demittite oculos, & sepilite illos in vulneribus sanctissimorum pedum, de quibus idem S. Bern. ait, *Salvete mites apertura, de quibus fluunt vena pura, porta patentes & profunda super rosam rubicunda.* Rosa omnium pulcherrima progerminat ex vulneribus vulnerati & transfixi cordis, cui S. Bern. ait: *Rosa cordis aperire, ut in illo flammis divini amoris liquefacti: in piissimos affectus diffluamus.* Amor harum rosarum, sive ardens devotio erga quinque sanctissima vulnera est ars optima sanctè moriendi. Hæc fuit exhortatio mensis prioris. Nomina variarum rosarum, nobis suggerent varias causas & effectus, ob quos quinque sanctissima Vulnera appellamus *rosas*, & simul motiva proponent, quibus moti, erimus solliciti, ut hæc quinque sanctissima vulnera secundum statuta nostræ congregationis peculiari devotione prosequamur.

§. 2. *Descriptio Rosa Ierichuntina.*

Rosa quæ Jerichuntina dicitur, est miraculum naturæ. In parvo caulice, inter innumeras parvas spinas magno numero & pulchro ordine undique erumpunt parvæ candidæ rosulæ, veluti niveæ violæ; à loco, in quo hic flos crescit, dictus est rosa Jerichuntina. Et quod fidem superat, licet planè arescat, & exsiccetur, licet evanescat omnis succus, color & vita, si tamen nocte Nativitatis Christi injiciatur aquæ, redit illi vita, color, succus, omnia folia & flosculi se pandunt in novam hilaritatem. Plinius: *Juvenescit, vetula etiam sit centum annorum.* Hæc de natura & forma hujus rosæ.

§. 3. *Rosa Ierichuntina indicium mortis vel vita.*

Cujus tres memorabiles memorantur effectus & proprietates. Prima est; Cum decumbenti ad mortem offertur rosa Jerichuntina, si æger apertis oculis suaviter & cum quodam gaudio aspiciat, & vicissim rosa sese aperiat, foliaque expandat, flos hic infallibile signum est secuturæ mox sanitatis. Æger talis hac vice non morietur. Si verò æger avertat oculos, si tristetur, si florem illum aversetur; si præterea hæc rosa se magis contrahat, si coarctetur, æger ille morietur.

§. 4. *Mortis. Si quis sine*

Salvete rosæ Jerichuntinæ! salvete quinque rosea vulnera Salvatoris mei Jesu Christi! Eja Sodales, huc oculos vestros! aspicite

motu devotionis illas aspiciat.

aspicite pignora vestræ salutis! Quid est hoc? quid oculos avertitis? quid tremimini? quid siletis? cur non gemitis? cur non cum fiducia suspiratis, *Iesu fili David miserere mei*! O Jesu doleo! amo! O marmora! ô lapides! ô tigrides! lugubre cernitis spectaculum! has intuemini rosas & nullus motus? O cœlum! adverto! vicissim bonus Jesus avertit oculos! video claudunt se sanctissima vulnera! eheu, clausa est porta benignissimi cordis. Lugete Angeli! oculi mei fundite lachrymas! actum est, talis morietur; quisque est, quem aspectus harum rosarum non movet ad compassionem, ad pœniten tiam &c. talis profectò non vitam æternam, non gaudiua & delicias cœli, sed mortem æternam & extremos atq; acerbissimos inveniet dolores & cruciatus; Cavete mei Sodales, &c.

§. 5. Vita, fovebis illa ... eant.

Sed aliud adverto in amantissimis meis sodalibus, dicite, quid est, quod oculos tam pios, madidos lachrymis contriti cordis, accensos flammis amoris concjiatis in has rosas, in SS. vulnera? Unde hoc, quod cor vestrum sit ardens? quid significant illa suspiria? illi gemitus? exulto dum hæc adverto, sed multò magis cum videre mihi videor, quomodo in cruce se expandant illæ rosæ! quo affectu bonus JESUS nobis offerat brachia, [est locus pro suavissimo affectu] hoc ego colligo ex utroque hoc signo. Moriemini sanctè. Rosæ Jerichuntinæ hoc nobis promittunt. Erimus in agone apiculæ, inter folia harum rosarum nos abscondemus; sugemus ex illis, cum roseo sanguine JESU Crucifixi, mel æternæ gloriæ.


§. 6. Rosa Ierichuntina sive devotio ergà quinq; vulnera Christi à nobis avertit fulmen terribilis sententia: Ite.

Altera proprietas vel virtus Rosæ Jerichuntinæ est æquè mirabilis. Domus, in qua, ex devotione, hinc erga noctem felicissimæ nativitatis Christi, hinc erga passionem Christi Salvatoris nostri hic flos asservatur, non tangitur à fulmine; an verum sit, non disputo, defendant se qui talia retulerunt, mihi, dum fulmen nomino, statim occurrit terribilis & fulminatrix illa vox Domini, quâ in valle Josaphat dicet omnibus impiis; *Ite! discedite maledicti in ignem æternum*! Sanctus Joannes cum in Apocalypsi vidit Filium hominis, veluti Judicem, ait linguam ejus fuisse veluti gladium acutum in ore ejus. Hoc gladio veluti fulgure & fulmine maledictos damnatos præ-

cipitabit in infernales flammas in omnem æternitatem! ululatis impii! trepidatis scelesti! timetis etiam pii & justi! laudo vos; sed hoc agite. Rosas Jerichuntinas includite cordibus vestris, amate sanctissima vulnera, vos illud fulmen non tanget, vos audietis amabilem illam vocem, *Venite Benedicti, &c.*

§. 7. *Rosa Jerichuntina generat lætitiam.*

Alia adhuc est benedictio super illas ædes, in quibus asservatur Rosa Jerichuntina; habitatores plerumque sunt læti & hilares, procul arcetur periculosa tristitia. Quis me impediet, quò minus nostram congregationem Agoniæ morientis Jesu appellem hortum, in quo crescunt Rosæ Jerichuntinæ. Clariùs; corda meorum sodalium sunt hortus, in quo virent Rosæ quinque SS. Vulnerum. Clarissimè, sodales agoniæ solliciti sunt, ut venerentur quinque SS. Vulnera. O felix omen! In agone morientibus nihil est difficilius, quam quædam tristitia, tædium, fastidium, mœstitia, quæ in Christo Domino tanta fuit, ut in angustiis mortis dixerit, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ah amantissimi sodales! quis scit? eheu! quæ fortassis nos comprehendent angustiæ? quæ mœstitiæ? quis timor? Eja quærite in monte Calvariæ Rosas Jerichuntinas! eja veneramini piè quinque rosea vulnera Christi! pellatur illa tristitia, &c. quivis lætus dicet, cum moriente Salvatore, *In manus tuas commendo spiritum meum.* Ita discite benè mori!



ROSA



ROSA MENSIS MARTII.

ROSA EX SINU VEL MANIBUS B. MARIÆ VIRGINIS, ASPERSA GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EFFUSI IN SANGUINEO SUDORE.

EXHORTATIO III.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

DE ferventi desiderio, ornandi rosis rosea vulnera Jesu Crucifixi.

§. 1. *Sinus Beatæ Virginis impletus rosis.*
§. 2. *Impleamus nos his floribus sinum, sive cor Iesu Crucifixi, & rosea ejus vulnera.*
§. 3. *Pallas Vlyssem jacentem in deliquio recreavit rosis.*
§. 4. *Peculiaris devotio pauperculæ puellæ erga statuam Beatæ Virginis, ornando illam rosis, & recitando Angelicas salutationes.*
§. 5. *Pii Sodales ita ornant sanctissima Vulnera IESV Crucifixi.*
§. 6. *Rosa B. Ritæ.*

QVid intelligam per rosas è sinu B. Mariæ Virginis, vobis exponam brevi historiâ. Bononiæ in monasterio Virginum, super gradus, quos quotidie aliquoties de die scandebant Religiosæ sorores, posita fuit in altari elegans & pia statua Mariæ, gestantis Jesulum; morisque fuit, ut in transitu, cum profunda corporis inclinatione dicerent: *Ave* *Maria!* *§. 1. Sinus B. V. implet rosis.*

Maria! *Benedictus fructus ventris tui Iesus*! Et Maria dignata fuit, dilectam aliquam filiam [nomen Joannæ de Lino, illi fuit] hac visione oblectare. Vidit enim hæc verba à sororibus prolata, converti in pulcherrimas rosas, quas cum quodam gaudio B. Virgo in sinu suo excepit, & iisdem deinde transeuntes Virgines aspersit cum incredibili quodam interno solatio; hinc appellatio rosarum è sinu B. Virginis.

§. 2. *Impleamus nos his floribus sinum sive cor Iesu crucifixi, & rosea ejus vulnera.*

Paulò post sub recitatione rosarii quinque SS. Vulnerum repetemus sæpius dulcissima hæc verba: *Ave Maria*! benedictus fructus ventris tui JESUS! paulò post in honorem quinque SS. Vulnerum sæpius iterabimus orationes Dominicas; dicemus ex toto corde: Mi Jesu crucifixe! sanctificetur nomen tuum, *fiat voluntas tua, &c.* Miscebimus ardentissima desideria & ferventes obtestationes; per agoniam crucis, &c. ut obtineamus sanctam mortem, sed quæso vos; aureum hoc exercitium insolitâ peragite devotione! Ecce sinum rosei & vulnerati cordis; ecce in pedibus, manibus roseos sacrorum Vulnerum hiatus; agite, omnia volumus implere, ornare & coronare rosis. Ah animæ piæ, evellite è vulnerato vertice acutas spinas, & illarum loco augustum caput coronate rosis. Nec dubitate, super nos rosæ longè pulchriores ex sanctissimis Vulneribus decident. Quod me attinet, ab hoc die conabor, ut quoties transeunda erit statua Jesu Crucifixi, cum tenerâ devotione dicam: Ave Jesu crucifixe! benedicta sunt millies rosea tua vulnera. De Virgine, cujus superius feci mentionem, refert historia, quod suavissimâ illâ visione adeo fuerit commota ad tenerrimam erga Mariam devotionem, ut per rosas deducta fuerit ad Paradisum. Ecce Sodales mei, per roseam quoque viam cupio vos deducere ad cœlum; Roseæ semitæ sunt quinque SS. Vulnera, hic quærite, & invenietis Paradisum. In hoc paradiso moriemur cum gaudio; in agone nobis erit benè.

§. 3. *Pallas Vlyssem jacentem in deliquio, re-*

Non displicebit hic vobis, ut spero, ingeniosus Poëtar. apologus. Dicunt Ulyssem, cum ex nauseâ tempestatis in mari à fluctibus ad littus fuisset ejectus, refocillatū fuisse à Pallade, hoc modo. Rosea Pallas, suavissimo oleo ex rosis expresso, illum inunxit,

refloruit

refloruit Ulysses. Pallas jacentem in deliquio & gravi virium defectu stipavit rosis; & subitò vires rediêre pristinæ. O quæ nos tempestas manet Sodales in supremo agone! quibus jactabimur fluctibus! in quo jacebimus deliquio! Væ! nisi cœlestis Pallas, nisi agonizantium Patrona, nisi dolorosa Virgo & Mater nos confortet suavissimo oleo pretiosi sanguinis Filii sui Jesu Crucifixi. Bene nobis, si cœlestes rosæ sanctissimorum Vulnerum nos confortent; ut tantam obtineamus felicitatem, dicamus millies: Ave Jesu Crucifixe! millies sint benedicta rosea tua Vulnera! O Salvator! per has roseas vias deduc nos in Paradisum. Iterum vos obtestor animæ piæ, quotidie sinum dulcissimi cordis Jesu implete his rosis, & præsertim sub recitatione Rosarii quinque SS. Vulnerum. Ingenti nobis in supremo agone erit solatio, rosea vulnera in vita ornasse rosis, suspirasse millies, benedicta sint vulnera Jesu crucifixi!

creavit rosis.


Redeo ad rosas è sinu vel manibus Mariæ. Cui appellationi causam dedit paupercula filia pastoris; quæ cum gregem pasceret in campo, juxta dirutum sacellum, in quo, cum restaret unica lignea imago Beatæ Virginis, coram illa flectens genua, sic oravit: *O cœli Regina & Mater Domini mei Jesu Christi! quam doleo te adeo paupere cultu neglectam. O quam libenter te vestirem, sed quia paupercula sum, conabor quotidie rosis & aliis flosculis, Angelicarum nimirum salutationum, te veluti Reginam coronare.* Per plures annos utrumque magna devotione præstitit, ornando statuam flosculis, & recitando salutationes Angelicas. Tandem in supremo agone apparuit illi Beatissima Virgo, in vestitu undique rosis ornato, & amœnissimo serto ex iisdem floribus composito, coronata, dixitque morienti puellæ: *Hoc gloriæ paludimentum, quod hac rosarum amœnitate renitet, tu filia mihi fecisti, cum me coram mea imagine salutasti, sed ego te coronabo rosis*, & hæc dicens, morientis capiti floridissimam imposuit coronam; eodem momento puella inter astantes Angelorum suaviter concinentium choros, ex hac vita migravit, ab iisdem ad cœlestem deducta Paradisum.

§. 4. Peculiaris devotio pauperculæ puellæ erga statuam B. V. ornando illam rosis, & recitando Angelicas salutationes.


O pretiosam mortem sanctæ puellæ, & clientis magnæ Matris Mariæ.

§. 5. *Pii Sodales ita ornant SS. Vulnera Iesu Crucifixi.* O mi Jesu! quam ego te video nudum, & egenum in ara SS. crucis. O quam libenter te vestirem auro, argento & gemmis, sed quia pauperes sumus, conabimur saltem te ornare rosis, sive orationibus dominicis & salutationibus angelicis in honorem sanctissimorum vulnerum prolatis. Eja sodales, primam decadem nostri rosarii, cogitate esse sertum ex quinque pulcherrimis rosis, quibus ornabimus vulnus sanctissimi sinistri pedis (ita discurre per reliquas decades) Hæc oratio nobis parabit roseam viam ad paradisum. In supremo agone dulcis rosa benedicti cordis se se aperiet & ita dilatabit, ut læti ingrediamur paradisi gaudia. Vicissim Jesus nos coronabit rosis. In roseis ejus brachiis pausabimus. In roseo lectulo crucis conquiescemus; tandem ex ejus ore, rosea hæc audiemus verba, *Venite Benedicti.*

§. 6. *Rosæ B. Ritæ.* B. Rita vidua, cum tenerrimo devotionis sensu aspiceret caput Crucifixi spinis coronatum, vidit & sensit, ex uno sanctissimo vulnere prodire lucidissimum radium, & in illius luce atq; splendore descendit una ex spinis, & ejus cor suavissimo amoris vulnere sauciavit; ægra pro solatio, in Januario petivit sibi ex horto afferri rosas, & fuerunt inventæ. Eja sodales, vos quoque pios oculos conjicite in amabile caput! O mi Jesu! saucia nos tuis spinis, sed simul sanctissima vulnera aperi, ut reperiamus rosas æternæ beatitudinis. O si unica spina illius coronæ jaceret insepulta cordibus nostris, quales inde crescerent rosæ.



ROSA



ROSA MENSIS APRILIS.

ROSÆ MARIANÆ IN SOLATIUM RESIPISCENTIUM,

ASPERSÆ GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EFFUSI IN FLAGELLATIONE.

EXHORTATIO IV.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

QVinque aurea documenta circa devotionem erga quinque sanctissima Vulnera.

§. 1. *Exordium offert rosas Marianas in solatium Sodalium.*

§. 2. *Conversio scelerata fœminæ.*

§. 3. *Modus illius conversionis.*

§. 4 *Beata Virgo illi obtulit quinque rosas cum pulcherrimis documentis.*

§. 5. *Iterum sed alio modo, tum illi apparuit Christus Judex.*

§. 6. *Quibus precibus, talibus rosis veneramur SS. Christi Vulnera.*

§. 7. *Sanctus Ludovicus Tessolanus Episcopus moriens, ex ore emisit rosam.*

§. 1. *Exordium offert rosas Marianas in solatium sodalium.*

IN mense Januario vobis obtuli rosam pentaphyllam: In Februario Jerichuntinam; in Martio rosas è manibus vel sinu Mariæ, quibus hactenus conatus fui exornare sanctissima quinque Vulnera Jesu Crucifixi, ut eædem peculiarem erga illa vulnera in nobis excitent devotionem. Hoc mense Aprili in meo Roseto alias inveni *rosas Marianas in solatium resipiscentium;*

tium, dicam ego, in solatium meorum sodalium, qui solliciti sunt, ut discant sanctè mori, hoc est, ut sanctissima illa vulnera peculiari prosequantur amore & devotione. Hanc præclaram appellationem his rosis dedit sequens historia.

§. 2. *Conversio scelerata fœmina.*

Fuit fœmina, nomine *Benedicta*, sed non opere, dedita vanitati, in vestitu, in moribus, in conversatione, & quod sequitur, gravissimorum scelerum rea; laqueus, quo diabolus plurimas animas trahebat ad æternam perditionem; infinita DEI misericordia, & ob ardentes preces, quibus S. Domicus à CHRISTO Domino hujus peccatricis petiit conversionem [mi Jesu crucifixe! estne aliquis vel aliqua ex præsentibus sodalibus, rea lethalis sceleris, & propterea in periculo repentinæ & infelicis mortis; ah! rogo! obtestor! obsecro! pulso ad ostia quinque sanctissimorum tuorum vulnerum, per tua vulnera, per sanctissimam tuam mortem, per guttas pretiosissimi tui sanguinis, da illi hâc horâ Congregationis, dum ardentes pro sanctâ morte volumus fundere preces, hanc gratiam, ut convertatur, da gratiam, ut omnes ardentem eliciamus actum contritionis, &c.] illa, inquam, Benedicta, tandem hoc modo fuit conversa.

§. 3. *Modus illius conversionis.*

In visione quadam, vel somnio, vidit 1. Christum Judicem sedentem pro tribunali. 2. In mensa vidit jacentem librum, in quo descripta legit, gravissima sua scelera. 3. Infra pedes Judicis, vidit apertum barathrum, in illo infernales ignes, in illis ardentes animas, quibus fuerat causa damnationis. Facile est cogitatu, quo pavore, territa fœmina, fuerit concussa; addit historia, eam altâ voce exclamasse, *Væ! Væ! Væ!* Desperationi proxima confugit ad S. Dominicum, hujus suasu ad B. Virginem Mariam, matrem misericordiæ, & peccatorum refugium. Nec frustra.

§. 4. *B. Virgo illi obtulit quinq; rosas cum pulcherrimis documentis*

O dulcissimam & clementissimam Matrem! dum spectabilem se præbuit Benedictæ, quinque pulcherrimas illi obtulit rosas, quibus aurea aureis verbis quinque documenta fuerant inscripta. In prima, [ego credo illam crevisse in benedicto vulnere sinistri pedis Jesu Crucifixi] legit hæc verba: *Tuorum scelerum & divinæ pariter misericordiæ memento, quæ tam propitia tibi fuit.*

Ad-

Advertite sodales duo potentia motiva, ut pro obtinenda sancta morte ardenter oremus Rosarium SS. vulnerum; si hinc nostra scelera, quæ vindictam infelicis mortis contra nos clamant, hinc vero Jesu Crucifixi misericordiam perpendamus. In altera Rosa, [quam puto germinasse in rosea areola vulneris dextri pedis] hæc verba legit: *Recole acerbissimam Christi passionem; hæc tibi ostendet fœditatem peccati mortalis, ob quod Filius Dei tanta pati debuit.* Rosarium SS. Vulnerum ardentius orare non possumus, quam si Christi Domini passionem, præsertim SS. Vulnera devotè recolamus. In rosa tertia, erumpente è roseo vulnere sinistræ manus hæc legit: *Recordare, quæ patiantur damnati, ob peccatum mortale, & vide ut prævenias.* O si idem faceremus; quàm oraremus ardenter [est locus pro pio affectu] In quarta, germinante è vulnere manus dexteræ, hæc legit: *Agnosce amorem Filii mei, qui in cruce mortuus est, ut te ab inferno liberaret.* O Benedicta! Filius meus pro te sudavit sanguinem! ex amore infinito, rue in genua, idem facite mei sodales; per hunc sanguinem obsecremus, ut nos liberet ab inferno [sic perge per alia mysteria sanctissimi rosarii] denique in quinta rosa, sumpta ex vulnere benedicti cordis, hæc legit: *Perpende quid ageret damnatus, si una hora misericordiæ illi concederetur.* Sine dubio statim converteretur, &c. [est locus pro pulchra inductione] Benedicta! sodales mei, hoc facite, dum tempus est gratiæ.

His cogitationibus Benedicta in tantam exarsit contritionem, & tam ardentem Dei & Jesu Crucifixi amorem, ut supremus Judex, pro libro atro enormium scelerum, illi ostenderit librum aureum, in quo descripta fuerunt nomina Electorum, & inter illa nomen Benedictæ; cum incredibili animæ solatio. Addidit Christus Dominus hæc verba, solatio plena. *Hanc gratiam obtinuisti filia, per intercessionem meæ Matris, & per lachrymas contriti cordis.* Et hæ fuerunt illæ rosæ, quas pius libellus vocat rosas Marianas in solatium resipiscentium. Ego voco illas rosas Marianas in solatium meorum sodalium Christi in cruce agonizantis, qui solliciti sunt, ut ferventi oratiòne quinque SS. vulnerum obtineant sanctam mortem.

§. 5. *Iterum, sed alio modo dum illi apparuit Christus Iudex.*


 Fer-

§. 9. *Quibus precibus, talibus rosis veneramur SS. Christi Vulnera.*

Ferventi dixi oratione: ne nobis contingat quod accidit piæ virgini, Franciscæ Vacchineæ; solita fuit quotidie offerre certas preces in honorem B. Virginis; cum aliquando id faceret valde tepidè, B. Virgo illi ostendit roseum stemma interlanguentibus rosis: admirabundæ propterea Franciscæ dixit Virgo, *talis est oratio tua, tales rosæ sunt Angelicæ, quas mihi offers salutationes sine succo, colore, sine vita.* Mox ut oravit ardenter vidit rosas animari succo pulchro colore & vita. Imo quo oravit ardentius, eò majorem in rosis vidit pulchritudinem, eo suavior fuit illarum odor. Talis surculus interlanguentibus rosis fuit fortassis hactenus oratio nostri rosarii. Quæso sodales, hac vice ita ferventer oremus, ut pulcherrimis atque suavissimis rosis possimus exornare sanctissima Vulnera JESU CHRISTI Salvatoris nostri, gloriosè à mortuis resurgentis.

§. 7. *S. Ludovicus Tolosanus Episcopus moriens ex ore emisit rosam.*

De sancto Ludovico Episcopo Tolosano ait ejus vita: *Moriens visus est rosam ex ore emittere*, dum scilicet in supremo agone ultimum, sed ardentissimè pronuntiaret dulcissimum ac suavissimum nomen JESUS. Hæccine sunt vestra desideria Sodales amantissimi, ut hac hora coram sanctissimo Sacramento, erga vulnus sinistri pedis, &c. pulcherrimas emittatis rosas; quibus eadem sanctissima Vulnera exornentur; Hoc agite, quoties diceris: JESU! fiat voluntas tua; dicite ardenti ore & corde; [hoc modo fiat p. affectus, per pia suspiria, verbi gratia JESU doleo! dicite ardenter, &c.]



ROSA



ROSA MENSIS MAJI.

ROSA S. GERTRUDIS,

ASPERSA GUTTIS ROSEI SANGUINIS EFFUSI IN SPINEA CORONATIONE.

EXHORTATIO V.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRaxis devotè recitandi Rosarium quinque sanctissimorum vulnerum.

§. 1. *Quales sint rosæ sanctæ Gertrudis.*

§. 2. *Piissimum dictum Joannis Godefridi, Episcopi Bambergensis.*

§. 3. *Piissima devotio Seraphici sancti Bonaventuræ erga Vulnera Salvatoris.*

§. 4. *Et Comitis Elzearii.*

§. 5. *Mira quædam vis olei rosacei.*

§. 6. *Prosecutio.*

§. 7. *Affectuosus Epilogus.*

CUm sancta Gertrudis Kalendis Januarii tenerrimis, dulcissimis & exquisitissimis verbis dulcissimum atque elegantissimum Sponsum suum salutaret, vidit piissima Virgo suas preces converti in pulcherrimas rosas, iisque ornari, & peculiariter delectari dulcissimum cor Jesu: adeo, ut iisdem piissimus Salvator aureis & vivis literis

§. 1. Quales sint rosæ S. Gertrudis.

dulcissimum nomen suum Jesum, labiis ejus inscripserit, & tenerrimo cordi altum impresserit. Has rosas sanctæ Gertrudis hac exhortatione vobis offero Sodales mei amantissimi. Verba tenerrima, dulcissima & exquisitissima continet Rosarium SS vulnerum, sed illa devotione, illo ardore, hac hora Congregationis coram SS. Altaris Sacramento proferte, ut convertantur in rosas, quibus ornetur & oblectetur cor Jesu Crucifixi. Dulcissima præsertim illa verba: *Benedictus fructus ventris tui Jesus*; Ita pronunciate, ut non tam aureis quàm sanguineis literis, id est, roseis guttis sanguinis Jesu Crucifixi, & labiis & cordibus nostris idem nomen inscribatur.

§. 2. *Piissimum dictum Ioan. Godefredi Episcopi Bambergensis.*

Modum devotissimè orandi nos docuit piissimus Bambergæ Episcopus Joannes Godefridus, cum dixit: *In veritate ego jam inde à prima pueritia semper dilexi quinque vulnera Salvatoris, & quandocunque ad ea sub meis orationibus cogitationes meas animumq; converto, singulari sensu pietatis, & motione quadam suavissimâ cælitus afficior: quotiescunque verò ab illorum spirituali contuitu, non advertens mentis oculos deflecto, in varias illico evagationes abripior, & sine devotione preces meas persolvo.* Sodales amantissimi, ut discatis benè mori, cupio vos discere modum devotissimè orandi Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum, proinde rogo, cum illud mox orabitis, non avertite oculos & cogitationes à quinque illis rosis, à quinque Vulneribus Jesu Crucifixi; experientia vos docebit, piissimum hunc Episcopum benè dixisse, si in recitatione primæ & secundæ decadis conjeceritis oculos in rosea Vulnera SS. pedum, [ita de aliis decadibus & Vulneribus] orabitis devotissimè. Invenietis rosas S. Gertrudis, id est, preces vestræ vertentur in rosas, quibus ornabitur & delectabitur cor Jesu Crucifixi.

§. 3. *Piissima devotio Seraphici S. Bonaventuræ erga vulnera Salvatoris.*

Hæc fuit devotio Seraphici S. Bonaventuræ; Vita ejus refert, quod non in monte Thabor, sed in Jesu Crucifixo quotidie tria sibi construxerit tabernacula. Unum in Vulneribus pedum; præsertim cum oraret, cogitabat se in illis latere veluti in sanctâ quadam solitudine. Alterum in Vulneribus manuum fabricabat, ut in illis cognosceret, quid Christus pro se fecisset, & ad quid

quid ille viciſſim obligaretur. Tertium in mellifluo corde Salvatoris deſignabat, ut illic amorem agnoſceret, qui Deum impulit pro homine incarnari, &c. præſertim mori in cruce, & quid ipſi viciſſim gratæ viciſſitudinis ergo rependeret. Ita orate roſarium quinque SS. Vulnerum amantiſſimi Sodales; ſub prima & altera decade figite tabernaculum in manibus pedum; ibi cogitate vos latere. Sub decade tertia & quarta tabernaculum figite in SS. Vulnera manuum, attendite, quid Chriſtus D. pro nobis fecerit, ad quid nos obligemur. Sub decade quinta in tabernaculo tertio, cum diceris: *Benedictus Jeſus*; memores eſtote illius amoris, ex quo pro nobis in cruce eſt mortuus; cogitate, quomodo ſitis grati, &c.

§. 4. *Et Comitis Elzearii.*

Ita habitate in hoc tabernaculo, ut quivis dicere poſſit cum S. Comite Elzeario ad ſuam ſponſam Delphinam: *Bene quidem valeo, ſed abſconditus lateo in vulnere lateris & transfixi cordis Domini Jeſu, ſi me quaris, illic, non alibi invenies. Nam palatium, habitatio, cubiculum & lectulus meus floridus eſt in vulnere Ieſu Chriſti.* Quantam divinæ dulcedinis copiam, quantam devotionem, qualem fervorem orandi piiſſimus Comes reperiit in roſeis vulneribus Jeſu Crucifixi, inde colligimus, quod omnium deliciarum hujus mundi oblitus, cœleſtia duntaxat & æterna bona deſiderarit. Diſcite benè mori mei Sodales, diſcite benè orare roſarium quinque SS. vulnerum, locus, templum, habitatio ſit vulnus cordis Jeſu, in hoc paradiſo invenietis roſas ſanctæ Gertrudis. Omnes ſalutationes Angelicæ, omnes orationes Dominicæ mutabuntur in roſas, quibus ornabitur & delectabitur cor Jeſu Crucifixi. Ipſe verò dulciſſimum ſuum nomen inſcribet cordibus noſtris, ipſe in ſupremo agone nos oblectabit.


§. 5. *Mira quadam vis olei roſacei.*

Indorum Gymnoſophiſtæ ſuis in arcanis prodidêre: ſi quis phialam oleo roſaceo plenam, dextera manu conceptiſque verbis Deo ritè obtulerit, & ſe poſtmodum hoc oleo inunxerit, tam gratioſum cuique Principi, quem compellaverit, evaſurum, ut quidquid ab eo petierit, abnuere nequeat, aut denegare. Sodales! roſaceum hunc liquorem exprimite ex quinque roſis ſanctiſſimorum vulnerum, inungite veſtras preces pretioſiſſimo ſan-

guine Jesu Crucifixi, offerte illas cœlesti Patri; quid ambigitis? certi estote, quidquid per sancta Vulnera flagitaveritis, obtinebitis.

§. 6. *Prosecutio.* Rem æquè mirabilem finxit Homerus; Cum Achilles in Trojana obsidione interfecisset Hectorem, ejusque cadaver canibus, lupis, voracibusque bestiis & alitibus dilaniandum objecisset, Venus illud inunxit oleo rosaceo, cujus fragrantissimus odor, omnes illas feras longè fugavit, ut nulla vis illi corpori illata fuerit. Narro fabulam. Hoc tamen scio, meos sodales esse sollicitos, ut aliquando in supremo agone, sint tuti contra lupos, leones & canes illos infernales, qui quærunt, ut devorent animas nostras; itaque hoc agite, Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum, sive, vestras preces, non oleo rosaceo, sed guttis pretiosissimi sanguinis JESU Crucifixi inungite; hoc Rosario vos armate; credite mihi, fugient Dæmones; nihil contra nos poterunt, etiam portæ inferorum, silebit infernalis Cerberus, cum sentiet odorem harum rosarum.

§. 7. *Affectuosus Epilogus.* Denique ut oretis devotissimè, ut preces vestræ convertantur in rosas, memores estote verborum, quibus sanctus Joannes Baptista aliquando allocutus fuit sanctam Franciscam Rom. cum viveret in terris, *O anima redde te pulchram dulci tuo IESV* [offer illi pulchrum cor, ornatum rosis, &c.] *qui te renovavit, & se tibi dedit, fac ut ardeas ejus amore. Ama & dilige tuum Dominum cum doloribus; ama cum timore, ama cum delectatione, ama & dilige illum amorem, qui te perfectè dilexit. Ama, ut delectetur in te, in tuo corde, inter rosas, pulcherrimus tuus IESVS Crucifixus*, & largietur nobis mortem beatissimam.



ROSA



ROSA MENSIS JUNII.

ROSA S. AUGUSTINI.

ASPERSA GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EFFUSI IN DENUDATIONE. VESTIUM.

EXHORTATIO VI.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ITerum commendatur oratio Rosarii quinque sanctissimorum vulnerum.

§. 1. *Cor sancti Augustini oblatum Deo, instar pulcherrimæ rosæ.*

§ 2. *Si volumus & nos, corda nostra possumus convertere in rosas.*

§. 3. *Modus orandi S. Rosæ Virginis Viterbiensis.*

§. 4. *Vt similiter oremus.*

§. 5. *Rosa oblata à Beata Virgine B. Dalmacio.*

§. 6. *Navis attracta ad littus roseis vinculis.*

MOdus & ratio discendi benè & feliciter vitam cum morte commutare, est fervens oratio Rosarii quinque sanctissimorum Vulnerum Christi Crucifixi pro obtinenda sancta morte. Qualis verò illa esse debeat, docebit nos rosa sancti Augustini; Hanc rosæ pulcherrimam appellationem sumpsi ex Anno cœlesti P. Naudasii, 28. Augusti,

§. 1. *Cor S. Aug. oblatum Deo, instar pulcherrimæ rosæ.*

gusti, festo magni hujus Sancti, ubi ita ait, S. Gertrudis vidit aliquando S. Augustinum in cœlis, pulchritudinis gloriâ decorum, & de corde ad cor Dei splendores igneos emittentem, ac radios ob ore spargentem; edoctaque fuit Divinitus, illos radios esse ignea signa igniti amoris Dei, quo in terris solitus fuit orare, & ignitæ eloquentiæ, quâ corda hominum vivens inflammavit; Alias eadem die 28. Augusti S. Augustinus apparuit S. Gertrudi, quasi ambabus manibus cor suum, amore Dei vulneratum, offerens Deo, in modum rosæ pulcherrimæ, odore suo omnes Cœlites mirificè oblectantis. Oravit autem præcipuè pro illis, qui per sua merita desiderant ardentem & ignitum amorem DEI.

§. 2. *Si volumus, & nos corda nostra possumus convertere in rosas.*

Sodales amantissimi, ita opto ut oretis, conjicite pios oculos in SS. Sacramentum Altaris vel imaginem Crucifixi, sed ita, ut corda vestra, dum oratis, dum sanctam petitis mortem, ad cor Dei, ad cor Jesu sub speciebus sanctissimæ Hostiæ, ad cor Jesu agonizantis igneos emittatis splendores, hoc est, ignita suspiria; si vultis, verba orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ & vestra desideria, omnia potestis facere ignea, si oretis ardenter. Hoc opto, ut etiam lingua similes spargat scintillas & radios. O si mihi ignea suppeteret eloquentia sancti Augustini, ad inflammandum corda vestra igne Divini amoris. Hoc agite Sodales, arripite corda vestra, vulnerate illa sagittis amoris; quot rosæ numerant folia, toties suspirate: Jesu Crucifixe, amo te: tum ambabus manibus, hoc est, toto animo, totis viribus illa offerte Deo; nec dubitate, corda vestra convertentur in rosas. Sub prima decade illis ornabimus vulnus sinistri pedis, [sic de aliis] odore harum rosarum oblectabimus cor Christi, oblectabimus Mariam, oblectabimus omnes Cœlites, præsertim sanctum Augustinum, qui nobis obtinebunt ardentem amorem erga Jesum Crucifixum, & inter amoris illius inflammatos actus, sanctam, quam desideramus, mortem.

§. 3. *Modus orandi S. Rosæ Virginis*

S. Rosa Virgo Viterbiensis, cum in quodam raptu ostensa illi fuissent hinc cœli gaudia, hinc inferni tormenta, oculos conjecit in Christum D. pendentem in cruce, vulneribus & sangui-

ne

ne coopertum, saxo percutiens pectus interrogavit, *Domine, quis te sic flagellavit?* respondit Christus Dominus, *Ardens amor!* *Quis cruci affixit?* ille dixit, *peccata hominum*; & ait ejus vita, B. Rosa benè didicit introspicere cœlum, infernum & vulnera Christi, & sic solita fuit orare, mortua anno 1258. apparuit Alexandro IV. Pontifici Maximo & dixit, *Ego sum Rosa Viterbiensis, serva Iesu & Mariæ.* Cum sepulchrum ejus post multos annos non sciretur, ex illo pulcherrima excrevit rosa, locumque sepulchri omnibus ostendit. *Viterbiensis.*

Statim orabimus rosarium quinque sanctissimorum vulnerum pro obtinenda sancta morte. Vultis discere artem benè orandi, & quod sequitur artem benè moriendi. Discite à Rosa benè introspicere cœlum, & infernum, & vulnera Crucifixi. In horum consideratione inveniemus flammas, quæ orationem, & amorem erga JESUM crucifixum, in nobis inflammabunt. Consideratio Cœli, inferni, & vulnerum Jesu crucifixi, faciet ut oremus ardenter, ut eundem ardentissimè diligamus. O nos beatos sodales, si dicere possimus; sumus filii dolorosæ Matris, & servi atque famulæ Jesu Crucifixi. §. 4. *Vt similiter oremus.*

Peculiarissimum favorem B. Virgo exhibuit B. Dalmacio, cum in arduo itinere jaceret lassus ob famem & sitim; famenti, sitienti, illa obtulit rosas melle conditas & ardore cœlesti admirandas. Mimimistisne sodales, ardui itineris in longissimam æternitatem, quod omnes serius aut ocyus ingrediemur; quæso estote solliciti, vel orate ferventer Consolatricem Virginem, ut nobis tum offerat rosas, ut nos includat & abscondat intra vulnera Filii sui, ut in illis nos consoletur. Non deerit suo officio, monstrabit se esse Matrem misericordiæ, simus verò nos solliciti, ut ante illi offeramus rosas, quibus oblectatur, rosas quibus ornantur vulnera Crucifixi, volo dicere, ut frequenter ardenter oremus Rosarium quinque SS. Vulnerum. Ad ardentem orationem inflammare nos poterit aureum monitum piissimi libelli; ***Disce amare Iesum Crucifixum***, [addo ego, disce quoque ferventer orare] ne sis filius mortis; & stipula æternis parata incendiis; qualem S. Andreas appellavit tyrannum, cujus §. 5. *Rosa oblata à B. Virgine B. Dalmacio.*

jussu fuit crucifixus. Quæso sodales amantissimi, frequenter ita suspiremus; Mi Jesu! amo te! sed per vulnera tua NN. ne permittas nos infeliciter mori, ne permittas, ut simus filii mortis æternæ; ne permittas ut simus stipulæ, paratæ æternis incendiis. Hoc bonus Jesus & consolatrix nostra Virgo, avertant à me, & meis sodalibus.

§. 6. *Navis attracta ad littus roseis vinculis.* Addo unicum punctum plenum solatio. Lucianus lib. 2. histor. c. 314, facit mentionem navis, quæ in quodam triumpho ex alto mari attracta fuit ad littus in portum, sed roseis vinculis. O sodales amantissimi, discite benè mori, O! inter quos tentationum turbines aliquando in agone jactabitur navicula vitæ nostræ? quis fluctuantem firmabit? quis anchoram inconcussæ fiduciæ in Christum Dominum porriget? quis funem dabit? quid timetis? jam habetis in manibus, fortissimus funis est oratio Rosarii quinque SS. Vulnerum, sed ornate rosis! funiculum primæ decadis immergite roseo sanguini benedicti vulneris sinistri pedis [ita de reliquis] & trahetur navicula nostra ad portum æternæ gloriæ, &c.



ROSA MENSIS JULII.

ROSÆ CLEOPATRÆ,

ASPERSÆ GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EFFUSI IN CRUCIFIXIONE.

EXHORTATIO VII.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Vulnera Salvatoris sunt roseus lectulus morientium.

§. 1. *Rosa*

§. 1. *Rosæ Cleopatræ symbolum suavis quietis.*
§. 2. *Lectus impiorum morientium ferreus, lugubris, lectus doloris.*
§. 3. *Roseum lectum præparant pii.*
§. 4. *In vulneribus salvatoris nutrimentum! venia peccatorum! domus, nidus, securitas, misericordia, suavitas.*
§. 5. *Apostrophe ad sodales agonia.*
§. 6. *Qualia corda sint rosei lectuli pro Jesu Crucifixo.*
§. 7. *Apparitio Beati Patris Borgia.*
§. 8. *Mors beatissima S. Gertrudis Virginis.*

VAni flores, caducæ rosæ vanissimæ Reginæ Cleopatræ hac exhortatione nos docebunt sanctam artem bene moriendi. In regio, quod apparavit convivio, in solas rosas impendit auri talentum, hoc est, sex millia Coronatorum; nam in omnibus tricliniis pro pluribus hospitibus jussit parari lectos, non ex plumis, vel molli lana vel sericis floccis, sed ex rosis, altitudine unius cubiti; unde fortassis causa data fuit illi symbolo, in quo rosa denotat quietem & suavem somnum. Ælius Imperator, cum in magnis caloribus suaviter voluit quiescere, incubuit rosis. Fortassis ob eandem causam olim moris fuit, ut morituri in testamento juberent, singulis annis semel sepulchrales lapides insterni rosis, eò quod putarent, animas sub illis quiescere suavius, & esse illis bene. Fortassis ob eandem causam sponsa præparavit lectulum, de quo sponsus in Canticis ait: *Lectulus noster floridus est*, id est, ornatus omnis generis floribus, præsertim liliis & rosis. Lectulus sponsi & sponsæ fuit roseus lectulus.

§. 1. Rosa Cleopatræ symbolum suavis quietis.

Antequam dicam, quid per hunc lectum intelligam, occurrit mihi versus 11. cap. 3. Deuteronomii, qui ait, *Monstratur lectus ejus* [scilicet Regis Og in Basan] *ferreus - novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis*; in quo lecto dormivit ille gigas Og. Judith. 13. v. 3. fit mentio lecti Holofernis, in quo Judith illum ebrietate sopitum, evaginato gladio aggressa apprehendit comam ejus, & percussit in cervicem ejus, & abscidit caput ejus. O lugubrum lectum! non ornate illum rosis, sed atro tegite panno.

§. 2. Lectum impiorum morientium ferreus, lugubris, lectus doloris.

tium, dicam ego, in solatium meorum sodalium, qui solliciti sunt, ut discant sanctè mori, hoc est, ut sanctissima illa vulnera peculiari prosequantur amore & devotione. Hanc præclaram appellationem his rosis dedit sequens historia.

§. 2. *Conversio scelerata fœminæ.* Fuit fœmina, nomine *Benedicta*, sed non opere, dedita vanitati, in vestitu, in moribus, in conversatione, & quod sequitur, gravissimorum scelerum rea; laqueus, quo diabolus plurimas animas trahebat ad æternam perditionem; infinita DEI misericordia, & ob ardentes preces, quibus S. Domicus à CHRISTO Domino hujus peccatricis petiit conversionem [mi Jesu crucifixe! estne aliquis vel aliqua ex præsentibus sodalibus, rea lethalis sceleris, & propterea in periculo repentinæ & infelicis mortis; ah! rogo! obtestor! obsecro! pulso ad ostia quinque sanctissimorum tuorum vulnerum, per tua vulnera, per sanctissimam tuam mortem, per guttas pretiosissimi tui sanguinis, da illi hâc horâ Congregationis, dum ardentes pro sanctâ morte volumus fundere preces, hanc gratiam, ut convertatur, da gratiam, ut omnes ardentem eliciamus actum contritionis, &c.] illa, inquam, Benedicta, tandem hoc modo fuit conversa.

§. 3. *Modus illius conversionis.* In visione quadam, vel somnio, vidit 1. Christum Judicem sedentem pro tribunali. 2. In mensa vidit jacentem librum, in quo descripta legit, gravissima sua scelera. 3. Infra pedes Judicis, vidit apertum barathrum, in illo infernales ignes, in illis ardentes animas, quibus fuerat causa damnationis. Facile est cogitatu, quo pavore, territa fœmina, fuerit concussa; addit historia, eam altâ voce exclamasse, *Væ! Væ! Væ!* Desperationi proxima confugit ad S. Dominicum, hujus suasu ad B. Virginem Mariam, matrem misericordiæ, & peccatorum refugium. Nec frustra.

§. 4. *B. Virgo illi obtulit quinq; rosas cum pulcherrimis documentis.* O dulcissimam & clementissimam Matrem! dum spectabilem se præbuit Benedictæ, quinque pulcherrimas illi obtulit rosas, quibus aurea aureis verbis quinque documenta fuerant inscripta. In prima, [ego credo illam crevisse in benedicto vulnere sinistri pedis Jesu Crucifixi] legit hæc verba: *Tuorum scelerum & divinæ pariter misericordiæ memento, quæ tam propitia tibi fuit.*

Ad-

Advertite sodales duo potentia motiva, ut pro obtinenda sancta morte ardenter oremus Rosarium SS. vulnerum; si hinc nostra scelera, quæ vindictam infelicis mortis contra nos clamant, hinc vero Jesu Crucifixi misericordiam perpendamus. In altera Rosa, [quam puto germinasse in rosea areola vulneris dextri pedis] hæc verba legit: *Recole acerbissimam Christi passionem; hæc tibi ostendet fœditatem peccati mortalis, ob quod Filius Dei tanta pati debuit.* Rosarium SS. Vulnerum ardentius orare non possusumus, quam si Christi Domini passionem, præsertim SS. Vulnera devotè recolamus. In rosa tertia, erumpente è roseo vulnere sinistræ manus hæc legit: *Recordare, quæ patiantur damnati, ob peccatum mortale, & vide ut prævenias.* O si idem faceremus; quàm oraremus ardenter [est locus pro pio affectu] In quarta, germinante è vulnere manus dexteræ, hæc legit: *Agnosce amorem Filii mei, qui in cruce mortuus est, ut te ab inferno liberaret.* O Benedicta! Filius meus pro te sudavit sanguinem! ex amore infinito, rue in genua, idem facite mei sodales; per hunc sanguinem obsecremus, ut nos liberet ab inferno [sic perge per alia mysteria sanctissimi rosarii] denique in quinta rosa, sumpta ex vulnere benedicti cordis, hæc legit: *Perpende quid ageret damnatus, si una hora misericordiæ illi concederetur.* Sine dubio statim converteretur, &c. [est locus pro pulchra inductione] Benedicta! sodales mei, hoc facite, dum tempus est gratiæ.

His cogitationibus Benedicta in tantam exarsit contritionem, & tam ardentem Dei & Jesu Crucifixi amorem, ut supremus Judex, pro libro atro enormium scelerum, illi ostenderit librum aureum, in quo descripta fuerunt nomina Electorum, & inter illa nomen Benedictæ; cum incredibili animæ solatio. Addidit Christus Dominus hæc verba, solatio plena. *Hanc gratiam obtinuisti filia, per intercessionem meæ Matris, & per lachrymas contriti cordis.* Et hæ fuerunt illæ rosæ, quas pius libellus vocat rosas Marianas in solatium resipiscentium. Ego voco illas rosas Marianas in solatium meorum sodalium Christi in cruce agonizantis, qui solliciti sunt, ut ferventi oratione quinque SS. vulnerum obtineant sanctam mortem.

§. 5. *Iterum, sed alio modo dum illi apparuit Christus Iudex.*


C Fer-

§. 9. *Quibus precibus, talibus rosis veneramur SS. Christi Vulnera.*

Ferventi dixi oratione: ne nobis contingat quod accidit piæ virgini, Franciscæ Vacchineæ: solita fuit quotidie offerre certas preces in honorem B. Virginis; cum aliquando id faceret valde tepidè, B. Virgo illi ostendit roseum stemma interlanguentibus rosis: admirabundæ propterea Franciscæ dixit Virgo, *talis est oratio tua, tales rosæ sunt Angelicæ, quas mihi offers salutationes sine succo, colore, sine vita.* Mox ut oravit ardenter vidit rosas animari succo, pulchro colore & vita. Imo quo oravit ardentius, eò majorem in rosis vidit pulchritudinem, eo suavior fuit illarum odor. Talis surculus interlanguentibus rosis fuit fortassis hactenus oratio nostri rosarii. Quæso sodales, hac vice ita ferventer oremus, ut pulcherrimis atque suavissimis rosis possimus exornare sanctissima Vulnera JESU CHRISTI Salvatoris nostri, gloriosè à mortuis resurgentis.

§. 7. *S. Ludovicus Tolosanus Episcopus moriens ex ore emisit rosam.*

De sancto Ludovico Episcopo Tolosano ait ejus vita: *Moriens visus est rosam ex ore emittere*, dum scilicet in supremo agone ultimum, sed ardentissimè pronuntiaret dulcissimum ac suavissimum nomen JESUS. Hæccine sunt vestra desideria Sodales amantissimi, ut hac hora coram sanctissimo Sacramento, erga vulnus sinistri pedis, &c. pulcherrimas emittatis rosas; quibus eadem sanctissima Vulnera exornentur; Hoc agite, quoties dicetis: JESU! fiat voluntas tua; dicite ardenti ore & corde; [hoc modo fiat p. affectus, per pia suspiria, verbi gratia JESU doleo! dicite ardenter, &c.]



ROSA



ROSA MENSIS MAJI.

ROSA S. GERTRUDIS,

ASPERSA GUTTIS ROSEI SANGUINIS EFFUSI IN SPINEA CORONATIONE.

EXHORTATIO V.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRaxis devotè recitandi Rosarium quinque sanctissimorum vulnerum.

§. 1. *Quales sint rosæ sanctæ Gertrudis.*

§. 2. *Piissimum dictum Joannis Godefridi, Episcopi Bambergensis.*

§. 3. *Piissima devotio Seraphici sancti Bonaventuræ erga Vulnera Salvatoris.*

§. 4. *Et Comitis Elzearii.*

§. 5. *Mira quadam vis olei rosacei.*

§. 6. *Prosecutio.*

§. 7. *Affectuosus Epilogus.*

CUm sancta Gertrudis Kalendis Januarii tenerrimis, dulcissimis & exquisitissimis verbis dulcissimum atque elegantissimum Sponsum suum salutaret, vidit piissima Virgo suas preces converti in pulcherrimas rosas, iisque ornari, & peculiariter delectari dulcissimum cor Jesu: adeo, ut iisdem piissimus Salvator aureis & vivis literis *§. 1. Quales sint rosæ S. Gertrudis.*

 dulcissimum

dulcissimum nomen suum Jesum, labiis ejus inscripserit, & tenerrimo cordi altum impresserit. Has rosas sanctæ Gertrudis hac exhortatione vobis offero Sodales mei amantissimi. Verba tenerrima, dulcissima & exquisitissima continet Rosarium SS vulnerum, sed illa devotione, illo ardore, hac hora Congregationis coram SS. Altaris Sacramento proferte, ut convertantur in rosas, quibus ornetur & oblectetur cor Jesu Crucifixi. Dulcissima præsertim illa verba: *Benedictus fructus ventris tui Jesus;* Ita pronunciate, ut non tam aureis quàm sanguineis literis, id est, roseis guttis sanguinis Jesu Crucifixi, & labiis & cordibus nostris idem nomen inscribatur.

§. 2. Piissimum dictum Ioan. Godefredi Episcopi Bambergensis.

Modum devotissimè orandi nos docuit piissimus Bambergæ Episcopus Joannes Godefridus, cum dixit: *In veritate ego jam inde à prima pueritia semper dilexi quinque vulnera Salvatoris, & quandocunque ad ea sub meis orationibus cogitationes meas animumq; converto, singulari sensu pietatis, & motione quadam suavissimâ cælitus afficior: quotiescunque verò ab illorum spirituali contuitu, non advertens mentis oculos deflecto, in varias illico evagationes abripior, & sine devotione preces meas persolvo.* Sodales amantissimi, ut discatis benè mori, cupio vos discere modum devotissimè orandi Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum, proinde rogo, cum illud mox orabitis, non avertite oculos & cogitationes à quinque illis rosis, à quinque Vulneribus Jesu Crucifixi; experientia vos docebit, piissimum hunc Episcopum benè dixisse, si in recitatione primæ & secundæ decadis conjeceritis oculos in rosea Vulnera SS. pedum, [ita de aliis decadibus & Vulneribus] orabitis devotissimè. Invenietis rosas S. Gertrudis, id est, preces vestræ vertentur in rosas, quibus ornabitur & delectabitur cor Jesu Crucifixi.

§. 3. Piissima devotio Seraphici S. Bonaventuræ erga vulnera Salvatoris.

Hæc fuit devotio Seraphici S. Bonaventuræ; Vita ejus refert, quod non in monte Thabor, sed in Jesu Crucifixo quotidie tria sibi construxerit tabernacula. Unum in Vulneribus pedum; præsertim cum oraret, cogitabat se in illis latere veluti in sanctâ quadam solitudine. Alterum in Vulneribus manuum fabricabat, ut in illis cognosceret, quid Christus pro se fecisset, & ad quid

quid ille vicissim obligaretur. Tertium in mellifluo corde Salvatoris designabat, ut illic amorem agnosceret, qui Deum impulit pro homine incarnari, &c. præsertim mori in cruce, & quid ipsi vicissim gratæ vicissitudinis ergo rependeret. Ita orate rosarium quinque SS. Vulnerum amantissimi Sodales: sub prima & altera decade figite tabernaculum in manibus pedum; ibi cogitate vos latere. Sub decade tertia & quarta tabernaculum figite in SS. Vulnera manuum, attendite, quid Christus D. pro nobis fecerit, ad quid nos obligemur. Sub decade quinta in tabernaculo tertio, cum diceris: *Benedictus Jesus*; memores estote illius amoris, ex quo pro nobis in cruce est mortuus; cogitate, quomodo sitis grati, &c.


Ita habitate in hoc tabernaculo, ut quivis dicere possit cum S. Comite Elzeario ad suam sponsam Delphinam: *Bene quidem valeo, sed absconditus lateo in vulnere lateris & transfixi cordis Domini Jesu, si me quæris, illic, non alibi invenies. Nam palatium, habitatio, cubiculum & lectulus meus floridus est in vulnere Jesu Christi.* Quantam divinæ dulcedinis copiam, quantam devotionem, qualem fervorem orandi piissimus Comes reperiit in roseis vulneribus Jesu Crucifixi, inde colligimus, quod omnium deliciarum hujus mundi oblitus, cœlestia duntaxat & æterna bona desiderarit. Discite benè mori mei Sodales, discite benè orare rosarium quinque SS. vulnerum, locus, templum, habitatio sit vulnus cordis Jesu, in hoc paradiso invenietis rosas sanctæ Gertrudis. Omnes salutationes Angelicæ, omnes orationes Dominicæ mutabuntur in rosas, quibus ornabitur & delectabitur cor Jesu Crucifixi. Ipse verò dulcissimum suum nomen inscribet cordibus nostris, ipse in supremo agone nos oblectabit. §. 4. *Et Comitis Elzearii.*

Indorum Gymnosophistæ suis in arcanis prodidêre: si quis phialam oleo rosaceo plenam, dextera manu conceptisque verbis Deo ritè obtulerit, & se postmodum hoc oleo inunxerit, tam gratiosum cuique Principi, quem compellaverit, evasurum, ut quidquid ab eo petierit, abnuere nequeat, aut denegare. Sodales! rosaceum hunc liquorem exprimite ex quinque rosis sanctissimorum vulnerum, inungite vestras preces pretiosissimo san- §. 5. *Mira quædam vis olei rosacei.*


guine Jesu Crucifixi, offerte illas cœlesti Patri; quid ambigitis? certi estote, quidquid per sancta Vulnera flagitaveritis, obtinebitis.

§. 6. *Prosecutio.* Rem æquè mirabilem finxit Homerus; Cum Achilles in Trojana obsidione interfecisset Hectorem, ejusque cadaver canibus, lupis, voracibusque bestiis & alitibus dilaniandum objecisset, Venus illud inunxit oleo rosaceo, cujus fragrantissimus odor, omnes illas feras longè fugavit, ut nulla vis illi corpori illata fuerit. Narro fabulam. Hoc tamen scio, meos sodales esse sollicitos, ut aliquando in supremo agone, sint tuti contra lupos, leones & canes illos infernales, qui quærunt, ut devorent animas nostras; itaque hoc agite, Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum, sive, vestras preces, non oleo rosaceo, sed guttis pretiosissimi sanguinis Jesu Crucifixi inungite; hoc Rosario vos armate; credite mihi, fugient Dæmones; nihil contra nos poterunt, etiam portæ inferorum, silebit infernalis Cerberus, cum sentiet odorem harum rosarum.

§. 7. *Affectuosus Epilogus.* Denique ut oretis devotissimè, ut preces vestræ convertantur in rosas, memores estote verborum, quibus sanctus Joannes Baptista aliquando allocutus fuit sanctam Franciscam Rom. cum viveret in terris, *O anima redde te pulchram dulci tuo IESV* [offer illi pulchrum cor, ornatum rosis, &c.] *qui te renovavit, & se tibi dedit, fac ut ardeas ejus amore. Ama & dilige tuum Dominum cum doloribus; ama cum timore, ama cum delectatione, ama & dilige illum amorem, qui te perfectè dilexit. Ama, ut delectetur in te, in tuo corde, inter rosas, pulcherrimus tuus IESVS Crucifixus*, & largietur nobis mortem beatissimam.



ROSA



ROSA MENSIS JUNII.

ROSA S. AUGUSTINI.

ASPERSA GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EFFUSI IN DENUDATIONE VESTIUM.

EXHORTATIO VI.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ITerum commendatur oratio Rosarii quinque sanctissimorum vulnerum.

§. 1. *Cor sancti Augustini oblatum Deo, instar pulcherrimæ rosæ.*

§. 2. *Si volumus & nos, corda nostra possumus convertere in rosas.*

§. 3. *Modus orandi S. Rosæ Virginis Viterbiensis.*

§. 4. *Vt similiter oremus.*

§. 5. *Rosa oblata à Beata Virgine B. Dalmacio.*

§. 6. *Navis attracta ad littus roseis vinculis.*

MOdus & ratio discendi benè & feliciter vitam cum morte commutare, est fervens oratio Rosarii quinque sanctissimorum Vulnerum Christi Crucifixi pro obtinenda sancta morte. Qualis verò illa esse debeat, docebit nos rosa sancti Augustini; Hanc rosæ pulcherrimam appellationem sumpsi ex Anno cœlesti P. Naudasii, 28. Augusti,

§. 1. *Cor S. Aug. oblatum Deo, instar pulcherrimæ rosæ.*

gusti, festo magni hujus Sancti, ubi ita ait, S. Gertrudis vidit aliquando S. Augustinum in cœlis, pulchritudinis gloriâ decorum, & de corde ad cor Dei splendores igneos emittentem, ac radios ob ore spargentem; edoctaque fuit Divinitus, illos radios esse ignea signa igniti amoris Dei, quo in terris solitus fuit orare, & ignitæ eloquentiæ, quâ corda hominum vivens inflammavit; Aliàs eadem die 28. Augusti S. Augustinus apparuit S. Gertrudi, quasi ambabus manibus cor suum, amore Dei vulneratum, offerens Deo, in modum rosæ pulcherrimæ, odore suo omnes Cœlites mirificè oblectantis. Oravit autem præcipuè pro illis, qui per sua merita desiderant ardentem & ignitum amorem DEI.

§. 2. *Si volumus, & nos corda nostra possumus convertere in rosas.*

Sodales amantissimi, ita opto ut oretis, conjicite pios oculos in SS. Sacramentum Altaris vel imaginem Crucifixi, sed ita, ut corda vestra, dum oratis, dum sanctam petitis mortem, ad cor Dei, ad cor Jesu sub speciebus sanctissimæ Hostiæ, ad cor Jesu agonizantis igneos emittatis splendores, hoc est, ignita suspiria; si vultis, verba orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ & vestra desideria, omnia potestis facere ignea, si oretis ardenter. Hoc opto, ut etiam lingua similes spargat scintillas & radios. O si mihi ignea suppeteret eloquentia sancti Augustini, ad inflammandum corda vestra igne Divini amoris. Hoc agite Sodales, arripite corda vestra, vulnerate illa sagittis amoris; quot rosæ numerant folia, toties suspirate: Jesu Crucifixe, amo te: tum ambabus manibus, hoc est, toto animo, totis viribus illa offerte Deo; nec dubitate, corda vestra convertentur in rosas. Sub prima decade illis ornabimus vulnus sinistri pedis, [sic de aliis] odore harum rosarum oblectabimus cor Christi, oblectabimus Mariam, oblectabimus omnes Cœlites, præsertim sanctum Augustinum, qui nobis obtinebunt ardentem amorem erga Jesum Crucifixum, & inter amoris illius inflammatos actus, sanctam, quam desideramus, mortem.

§. 3. *Modus orandi S. Rosa Virginis*

S. Rosa Virgo Viterbiensis, cum in quodam raptu ostensa illi fuissent hinc cœli gaudia, hinc inferni tormenta, oculos conjecit in Christum D. pendentem in cruce, vulneribus & sangui-

ne

ne coopertum, saxo percutiens pectus interrogavit, *Domine, quis te sic flagellavit?* respondit Christus Dominus, *Ardens amor!* *Quis cruci affixit?* ille dixit, *peccata hominum*; & ait ejus vita, B. Rosa benè didicit introspicere cœlum, infernum & vulnera Christi, & sic solita fuit orare, mortua anno 1258. apparuit Alexandro IV. Pontifici Maximo & dixit, *Ego sum Rosa Viterbiensis, serva Iesu & Mariæ.* Cum sepulchrum ejus post multos annos non sciretur, ex illo pulcherrima excrevit rosa, locumque sepulchri omnibus ostendit. *Viterbiensis.*

Statim orabimus rosarium quinque sanctissimorum vulnerum pro obtinenda sancta morte. Vultis discere artem benè orandi, & quod sequitur artem benè moriendi. Discite à Rosa benè introspicere cœlum, & infernum, & vulnera Crucifixi. In horum consideratione inveniemus flammas, quæ orationem, & amorem ergà JESUM crucifixum, in nobis inflammabunt. Consideratio Cœli, inferni, & vulnerum Jesu crucifixi, faciet ut oremus ardenter, ut eundem ardentissimè diligamus. O nos beatos sodales, si dicere possimus; sumus filii dolorosæ Matris, & servi atque famulæ Jesu Crucifixi. §. 4. *Ut similiter oremus.*

Peculiarissimum favorem B. Virgo exhibuit B. Dalmacio, cum in arduo itinere jaceret lassus ob famem & sitim, famenti, sitienti, illa obtulit rosas melle conditas & ardore cœlesti admirandas. Mimінistisne sodales, ardui itineris in longissimam æternitatem, quod omnes serius aut ocyus ingredimur; quæso estote solliciti, vel orate ferventer Consolatricem Virginem, ut nobis tum offerat rosas, ut nos includat & abscondat intra vulnera Filii sui, ut in illis nos consoletur. Non deerit suo officio, monstrabit se esse Matrem misericordiæ, simus verò nos solliciti, ut ante illi offeramus rosas, quibus oblectatur, rosas quibus ornantur vulnera Crucifixi, volo dicere, ut frequenter ardenter oremus Rosarium quinque SS. Vulnerum. Ad ardentem orationem inflammare nos poterit aureum monitum piissimi libelli; *Disce amare Iesum Crucifixum,* [addo ego, disce quoque ferventer orare] ne sis filius mortis; & stipula æternis parata incendiis; qualem S. Andreas appellavit tyrannum, cujus §. 5. *Rosa oblata à B. Virgine B. Dalmacio.*

VAni flores, caducæ rosæ vanissimæ Reginæ Cleopatræ hac exhortatione nos docebunt sanctam artem bene moriendi. In regio, quod apparavit convivio, in solas rosas impendit auri talentum, hoc est, sex millia Coronatorum; nam in omnibus tricliniis pro pluribus hospitibus jussit parari lectos, non ex plumis, vel molli lana vel sericis floccis, sed ex rosis, altitudine unius cubiti; unde fortassis causa data fuit illi symbolo, in quo rosa denotat quietem & suavem somnum. Ælius Imperator, cum in magnis caloribus suaviter voluit quiescere, incubuit rosis. Fortassis ob eandem causam olim moris fuit, ut morituri in testamento juberent, singulis annis semel sepulchrales lapides insterni rosis, eò quod putarent, animas sub illis quiescere suavius, & esse illis bene. Fortassis ob candem causam sponsa præparavit lectulum, de quo sponsus in Canticis ait: *Lectulus noster floridus est*, id est, ornatus omnis generis floribus, præsertim liliis & rosis. Lectulus sponsi & sponsæ fuit roseus lectulus. *§. 1. Rosa Cleopatra symbolum suavis quietis.*

Antequam dicam, quid per hunc lectum intelligam, occurrit mihi versus 11. cap. 3. Deuteronomii, qui ait, *Monstratur lectus ejus* [scilicet Regis Og in Basan] *ferreus - novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis*; in quo lecto dormivit ille gigas Og. Judith. 13. v. 3. fit mentio lecti Holofernis, in quo Judith illum ebrietate sopitum, evaginato gladio aggressa apprehendit comam ejus, & percussit in cervicem ejus, & abscidit caput ejus. O lugubrum lectum! non ornate illum rosis, sed atro tegite panno. *§. 2. Lectus impiorum morientium ferreus, lugubris, lectus doloris.*

 Psalmo

Psalmo 40. v. 4. ait Psaltes: *Dominus opem ferat illi, super lectum doloris ejus - in die mala*, quando diabolus stabit à dexteris ejus, in quo [Psal. 108. v. 7.] *judicabitur, ut exeat condemnatus, neque erit, qui misereatur illius.* Facilè advertitis, his locis describi lectum, in quo mori solent impii: in lecto ferreo, in lecto strato spinis! in lecto doloris & angustiarum.

§ 3. *Roseum lectum præparant pii.*

De vobis Sodales amantissimi mihi persuadeo, quod in alio desideretis mori lectulo! quæso vos discite benè mori, & dum tempus est, mollem parate lectulum, hoc est, in amœnissimo paradiso Jesu Crucifixi, in areolis quinque sanctissimorum Vulnerum, quærite & carpite rosas, inter quas in suprema cum morte lucta, etsi adstet diabolus, etsi infernalis leo rugiat, possitis quiescere suaviter. Rosas carpi, ait S. Ambros. quoties colligis guttas pretiosi sanguinis, quem Christus D. Salvator pro nobis effudit. Creverunt hæ rosæ in monte Oliveti, cum præ angustiis mortis sudavit sanguinem; Creverunt hæ rosæ ante columnam; crevêre inter spinas, &c. Has rosas colligite potissimum sub recitatione rosarii SS. vulnerum ob varias causas, ob hanc potissimum.

§. 4. *In vulneribus Salvatoris nutrimentum, venia peccatorum, domus, nidus, securitas, misericordia, suavitas.*

Plurimas cogitationes piissimas SS. Patrum frequenter legi de SS. vulneribus Salvatoris. Scio dixisse S. Gregor. M. *Foramina petræ sunt vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis. Caverna* - lata, ampla, tuta, abscondita - *est vulnus lateris, quod lanceâ factum est. Benè columba* [vel anima pia] *hic esse dicitur, cum crucis recordatione, & dum ipsa vulnera ad memoriam reducit, suavissimum ibi reperit nutrimentum.* Scio dixisse Rupertum: *Clavi & lancea fecerunt vulnera, in quibus columba habitat, gemit & tuta est. Christus enim existens mortalis, fuit petra passibilis; ubi autem resurrexit à mortuis, est petra solidissima.* In his cavernis animæ per tristes lachrymas contriti cordis, reperiunt veniam & misericordiam omnium peccatorum. Scio dixisse S. Bernardum serm. 61. in Cant. *Bona foramina! in quibus passer & turtur invenerunt sibi domum & nidum, in quo columba se tutatur, & circumvolantem intrepida intuetur accipitrem. Ubi tuta, firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris.*

Tantò

Tantò illic securius habitamus, quantò potentior ad salvandum; turbatur sapè conscientia, sed non perturbatur, cum vulnerum Domini recordor. Scio illum dixisse: *Patet arcanum cordis per foramina corporis patent viscera misericordiæ DEI nostri. In quo clarius, quàm vulneribus elucet, quod tu Domine suavis es, & multæ misericordiæ; tum exclamat, Quanta in his multitudo dulcedinis! quanta plenitudo gratiæ.*

Agite mei Sodales; quærite cum S. Gregorio hæc vulnera, & invenietis nutrimentum. Quærite cum S. Ruperto, & invenietis dolorem de peccatis; & veniam peccatorum. Quærite cum S. Bern. ibi veluti passeres & turtures invenietis domum & nidum, & securissimam habitationem. Recordamini vulnerum Crucifixi, & conscientia non perturbabitur. Ibi quærite viscera misericordiæ, Ibi gustate, quam suavis sit Dominus. Addo tandem, hic querite rosas, ut ex illis mollem nobis paremus lectulum pro supremo agone. §. 5. *Apostrophe ad Sodales agonia.*


Optimè facimus, si modò Christo Crucifixo in cordibus nostris cum sponsâ floridum præparemus lectulum: In cruce non habet, ubi caput coronatum spinis reclinet, nisi amorem nostrum velut roseum pulvinar substernamus. Roseus lectulus est mens sancta & casta. S. Ambr. de Isaac & anima c. 4. *Ubi impudicitia, ubi superbia, &c. ibi D. Jesus filius hominis non habet ubi reclinet caput suum.* S. Bern. *Errant, qui audent ad fœdum concupiscentiæ lectum totius puritatis Dominum invitare.* Roseus lectulus est bona conscientia; roseus lectulus est ardor orationis. Rosæ sunt ferventia suspiria! inter has rosas pascitur dilectus, hæ rosæ pro agone nobis parant mollem lectulum. Hoc est, rosea Crucifixi vulnera & dulcissimum cor Jesu nobis erunt floridus lectulus. §. 6. *Qualia corda sint rosei lectuli pro Jesu Crucifixo.*

De B. Patre Borgia refert P. Nadasi, 1. Octobr. quod post suam conversionem quotidie quater & vicies cum peculiari fervore se præparaverit ad sanctam mortem, quam etiam obtinuit. Post mortem alicui clienti, trepido de sua prædestinatione, B. Borgias apparuit, & dixit: *Quid me interrogas, an sis salvandus, vel non: cum servias tam bono Deo? interroga opera tua, quæ si deinceps ita erunt, ut fuerunt hactenus, respondent tibi, quod ita, quod* §. 7. *Apparitio B. Patris Borgiæ.*

 ita!

ita! *nempe te salvum fore*. Ex vestra devotione & sollicitudine colligo Sodales, vos esse sollicitos de vestra salute! fortassis volupe vobis foret, intelligere, an salvandi sitis, vel non? sed ex me non interrogate, coram SS. Sacramento interrogate corda vestra, an sint coronata rosis, an ametis rosea Jesu vulnera? respondebunt, quod ita [hoc modo poterit fieri pulchra & affectuosa inductio.]

§ 7. *Mors beatissima S. Gertrudis Virg.* Mors S. Gertrudis Virginis fuit beatissima. Vidit & sensit aliquando cor suum admoveri ad cor Jesu, & illi uniri. Vidit & sensit alias cordi suo insculpi Vulnera Crucifixi. Vidit alias, Christum D. sibi afferre cor suum pro templo. Vidit & sensit alias, sponsum suum se in suo corde veluti aliquo tumulo sepelire. Denique in agone invisit illam Christus D. cum B. Virg. & multis Sanctis, & ostendit illi cor suum apertum, ex quo inter suavem Angelorum melodiam audivit has voces: *Veni! Veni! exspectant te cæli deliciæ*! Ita obiit! Itane desideratis mori Sodales? [Habes locum pro affectuosissimo Epilogo.]



ROSA MENSIS AUGUSTI.

ROSA IGNEA,

ASPERSA GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS EFFUSI IN APERTIONE LATERIS.

EXHORTATIO VIII.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

IN roseis vulneribus JESU Crucifixi latet igneus ardor devotionis.

§. I. *Angu-*

EVanuere rosæ ex nostris hortis, virent & florent adhuc in amœnissimo paradiso Jesu crucifixi, in quinque roseis areolis quinque SS. ejus vulnerum. Verum enimvero calidissimus hic Mensis Augustus rosas nobis offert igneas: quo mense accensæ prunæ & ardentes carbones, super quos in ferrea craticula jacuit S. Laurent. [cujus dies festus hodiernus, unū est ex principalibus festis nostræ cōgregationis] conversi fuerunt in rosas paradisi, ut super illas gloriosus Martyr, veluti in roseo lectulo quieverit, & cum ingenti solatio atrocissima pertulerit tormenta invictus & generosus Christi athleta inter ignes, dignus, qui igneis coronetur rosis. Accendent illæ, ut spero, nostram devotionem. §. 1. *Augustus profert igneas rosas.*

Anno 1640. nostro tempore, barbara Canada mundo dedit novum Laurentium, novum invictum Christi pugilem & gloriosissimum Martyrem è Societate Jesu, Patrem Joannem Brebaif, Gallum. Atrocia pro Christi lege sustinuit tormenta. 1. Manuum, pedumque ungues radicitus à barbaris illi fuerunt avulsi. 2. Acutissimis flagellis fuit flagellatus. 3. Præcisæ manus. 4. Saxo contusum fuit ejus os, labia, & lingua. 5. Hæc præterea ardenti ferro fuit adusta. 6. Collo injecerunt ferreum circulum veluti collare, ex quo variæ pependerunt ardentes secures. 7. Lumbos ejus præcinxerunt cingulo è pice & accenso sulphure. 8. In contemptum sanctissimi Sacramenti baptismi, bullientibus undis illum baptizarunt. 9 alligatum ad palum, adhuc vivum excoriarunt. 10. Neque tantum excoriarunt, sed carnes divulserunt ab ossibus. 11. Tum novo tormento, tot vulnera ignito ferro adusserunt. 12. Obiit deniq; cum barbari ex pectore evellerent cor, quod devorarunt. Refert historia, P. Joannē inter hæc tormenta stetisse veluti columnā, & altâ voce protulisse hæc §. 2. *Atrox martyrium Patris Brebaif in Canada.*

verba:

verba; *dum patimur, sursum in cælum elevemus oculos.* Videt hæc remunerator DEUS, Moriamur fortes in fide; gloria erit æterna. Additur hoc viri sanctissimi elogium, quod quotidiè desideraverit pati & perferre omnia simul tormenta, quæ omnes simul sancti Martyres passi sunt pro Jesu Christo Salvatore nostro. Qualia desideria, quàm excelsæ cogitationes? unde quæso tanti ardores in pectore invicti Herois?

§. 3. *Cælestes ejus visiones* Ait vita, illum aliquando raptum extra se, vidisse admirandi splendoris regium palatium, ex auro, gemmis & crystallo illis paratum, qui ex amore patiuntur adversa; vidit aliàs amœnissimum montem, in quo, qui laverunt stolas suas in sanguine, sequuntur agnum, & laudant Dominum. Alia vice vidit matrem dolorosam, ejus cor triplici transfixum gladio, & de cœlis audivit vocem, *Tristi Mariæ esto similis*, quo viso ita exarsit, ut statim coram sanctissima Trinitate, Beata Virgine, S. Josepho, sanctis Ignatio & Xaverio fecerit votum, se non declinaturum martyrium. Aliàs vidit Christum D. bajulantem crucem, illamque obtinuit gratiam, ut Christus D. suam crucem ejus imposuerit humeris, quam cum gaudio bajulavit, sibi redditus lætis vocibus exclamavit: *Tunc bene sperabo de salute mea, cum se mihi dederint occasiones patiendi multa.* Alia vice vidit Christum D. coronatum spinis, cum ferventissimo desiderio exemplo Christi patiendi ardua. Fortassis memor dicti S. Bernardi; *pudeat sub capite coronato spinis, delitescere delicatum membrum coronatum rosis hujus mundi.*

§. 4. *Corona ex ignis rosis.* Non dubito cœlestes has visiones cordi patris Joannis injecisse illas scintillas, quibus exarsit in amorem atrocis alicujus martyrii, præsertim, cum paucis mensibus ante obitum anno 1640. 27. Maji, festo Pentecostes in aëre vidit sertum ex igneis & ardentibus rosis, à quibus sensit se totum accendi, & veluti comburi in holocaustum divino amori. Neque solum exarsit, vidit enim omnia circum se, aerem, campos, silvas, &c. omnia ardere. O igneas rosas! ô felicia incendia! ô sancta desideria.

§. 5. *Apostrophe ad Sodales.* Sodales amantissimi! quis scit, quot menses vitæ nobis sint reliqui? quis numeravit arenulas in mortis clepsydra, quæ nobis adhuc

adhuc fluent? cur adeo frigent corda nostra? unde gelidus ille tepor, cur non exardescimus in sancta desideria? quæritis fornaces, ex quibus erumpunt sanctissimæ hæ scintillulæ?

Si placet, elevate oculos in cœlestem Jerosolymam, contemplemini illas mansiones, quas Deus præparavit sodalibus hujus congregationis. Memoria cœli excitabit in nobis sancta desideria, prunæ S. Laurentii nobis videbuntur rosæ. Elevate oculos ad Jesum pendentem in cruce! ecce spinas in capite, clavos in manibus & pedibus; spinas, clavos, lanceam cogitate esse rosas, quæ nos alliciunt, ut patiamur cum Christo. Pios oculos declinate in latus, ecce matrem dolorosam! videtis gladios in Virgineo corde; huic estote similes. §. 6. *Prosecutio.*

Ad vos præsertim me converto ô rosea quinque vulnera Jesu mei Salvatoris, dixi hactenus salvete rosæ pulcherrimæ! omnis vobis inest pulchritudo. Salvete rosæ suavissimæ! omnis vobis inest suavitas. Salvete rosæ divites & pretiosæ! in vobis reperio divitias gloriæ & pretium salutis nostræ. Salvete rosæ sanguineæ! respersæ guttis pretiosi sanguinis Christi. Salvete rosæ Divinæ! Divina estis vulnera. Hodie liceat mihi dicere, salvete, ardentes, scintillantes & igneæ rosæ. In vobis absconditus est ignis Divinitatis. In vobis collectæ sunt amoris scintillæ, quibus ardent Seraphini, &c. §. 7. *Variæ salutationes ad rosea Crucifixi vulnera.*

Sodales mei! vulnus sinistri pedis ignea est rosa! vulnus pedis dexteri, talis rosa. Igneæ rosæ sunt vulnera manuum. Ignea rosa est dulcissimum cor Jesu Crucifixi. Ruite in genua, orate rosarium sanctissimorum quinque Vulnerum, dum oratis, in has rosas pios conjicite oculos, erumpent scintillæ, quæ nostra desideria accendent. Decident prunæ, quos nostros inflammabunt affectus. Nos & omnia circa nos ardebunt. §. 8. *Epilogus.*

E ROSA

verba; *dum patimur, sursum in cœlum elevemus oculos.* Videt hæc remunerator DEUS, Moriamur fortes in fide; gloria erit æterna. Additur hoc viri sanctissimi elogium, quod quotidiè desideraverit pati & perferre omnia simul tormenta, quæ omnes simul sancti Martyres passi sunt pro Jesu Christo Salvatore nostro. Qualia desideria, quàm excelsæ cogitationes? unde quæso tanti ardores in pectore invicti Herois?

§. 3. *Cœlestes ejus visiones* Ait vita, illum aliquando raptum extra se, vidisse admirandi splendoris regium palatium, ex auro, gemmis & crystallo illis paratum, qui ex amore patiuntur adversa; vidit aliàs amœnissimum montem, in quo, qui laverunt stolas suas in sanguine, sequuntur agnum, & laudant Dominum. Alia vice vidit matrem dolorosam, ejus cor triplici transfixum gladio, & de cœlis audivit vocem, *Tristi Mariæ esto similis*, quo viso ita exarsit, ut statim coram sanctissima Trinitate, Beata Virgine, S. Josepho, sanctis Ignatio & Xaverio fecerit votum, se non declinaturum martyrium. Aliàs vidit Christum D. bajulantem crucem, illamque obtinuit gratiam, ut Christus D. suam crucem ejus imposuerit humeris, quam cum gaudio bajulavit, sibi redditus lætis vocibus exclamavit: *Tunc bene sperabo de salute mea, cum se mihi dederint occasiones patiendi multa.* Alia vice vidit Christum D. coronatum spinis, cum ferventissimo desiderio exemplo Christi patiendi ardua. Fortassis memor dicti S. Bernardi; *pudeat sub capite coronato spinis, delitescere delicatum membrum coronatum rosis hujus mundi.*

§. 4. *Corona ex igneis rosis.* Non dubito cœlestes has visiones cordi patris Joannis injecisse illas scintillas, quibus exarsit in amorem atrocis alicujus martyrii; præsertim, cum paucis mensibus ante obitum anno 1640. 27. Maji, festo Pentecostes in aëre vidit sertum ex igneis & ardentibus rosis, à quibus sensit se totum accendi, & veluti comburi in holocaustum divino amori. Neque solum exarsit, vidit enim omnia circum se, aerem, campos, silvas, &c. omnia ardere. O igneas rosas! ô felicia incendia! ô sancta desideria.

§. 5. *Apostrophe ad Sodales.* Sodales amantissimi! quis scit, quot menses vitæ nobis sint reliqui? quis numeravit arenulas in mortis clepsydra, quæ nobis

adhuc


adhuc fluent? cur adeo frigent corda nostra? unde gelidus ille tepor, cur non exardescimus in sancta desideria? quæritis fornaces, ex quibus erumpunt sanctissimæ hæ scintillulæ?

Si placet, elevate oculos in cœlestem Jerosolymam, contemplemini illas mansiones, quas Deus præparavit sodalibus hujus congregationis. Memoria cœli excitabit in nobis sancta desideria, prunæ S. Laurentii nobis videbuntur rosæ. Elevate oculos ad Jesum pendentem in cruce! ecce spinas in capite, clavos in manibus & pedibus; spinas, clavos, lanceam cogitate esse rosas, quæ nos alliciunt, ut patiamur cum Christo. Pios oculos declinate in latus, ecce matrem dolorosam! videtis gladios in Virgineo corde; huic estote similes. *§. 6. Prosecutio.*

Ad vos præsertim me converto ô rosea quinque vulnera Jesu mei Salvatoris, dixi hactenus salvete rosæ pulcherrimæ! omnis vobis inest pulchritudo. Salvete rosæ suavissimæ! omnis vobis inest suavitas. Salvete rosæ divites & pretiosæ! in vobis reperio divitias gloriæ & pretium salutis nostræ. Salvete rosæ sanguineæ! respersæ guttis pretiosi sanguinis Christi. Salvete rosæ Divinæ! Divina estis vulnera. Hodie liceat mihi dicere, salvete, ardentes, scintillantes & igneæ rosæ. In vobis absconditus est ignis Divinitatis. In vobis collectæ sunt amoris scintillæ, quibus ardent Seraphini, &c. *§. 7. Variæ salutationes ad rosea Crucifixi vulnera.*

Sodales mei! vulnus sinistri pedis ignea est rosa! vulnus pedis dexteri, talis rosa. Igneæ rosæ sunt vulnera manuum. Ignea rosa est dulcissimum cor Jesu Crucifixi. Ruite in genua, orate rosarium sanctissimorum quinque Vulnerum, dum oratis, in has rosas pios conjicite oculos, erumpent scintillæ, quæ nostra desideria accendent. Decident prunæ, quos nostros inflammabunt affectus. Nos & omnia circa nos ardebunt. *§. 8. Epilogus.*

E ROSA



ROSA MENSIS SEPTEMBRIS.

ROSÆ TRIUMPHALES,

ASPERSÆ GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS, QUI EFFLUXIT EX VULNERATO CORDE JESU CRUCIFIXI.

EXHORTATIO IX.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

IGneæ sagittæ ardentium suspiriorum ad Jesum crucifixum, & rosis coronatæ, impetrant sanctam mortem.

§. 1. *Encomia Rosæ; & devotionis erga Iesu crucifixi vulnera.*
§. 2. *Elegans ornatus à rosis.*
§. 3. *Variæ rosæ mysticæ.*
§. 4. *Ardentia suspiria sunt sagittæ ornatæ rosis.*
§. 5. *Unde appellatio rosarum triumphalium.*
§. 6. *Congregatio agoniæ est cohors fortissimorum militum. Videant, ut sua arma ornent rosis. Inde victoria & triumphus.*
§. 7. *IESVS crucifixus est scala ad cælum, gradus sunt roseæ ejus vulnera.*

§. 1. *Encomia Rosæ; & devotionis erga Iesu Crucifixi vulnera.*

PUlchrè de rosa cecinit ille Poëta. Rosa! *honor decusque florum.* Rosa! *cura amorque Veris;* Rosa *Cælitum voluptas, hominum, rosa voluptas!* Rosa *flos odorque Divum, decus, illa, gratiarum, Est rosa flos florum.* Pulchrius in hortis nihil, nihil jucundius illâ. Verbo, rosa florum flos pulcherrimus. His elogiis ego orno Rosam omnium pulcherrimam, quæ est

est pia, ardens & suavis devotio erga rosea quinque Jesu Crucifixi vulnera. Decus, honor, gloria, voluptas devotionum est amor Jesu Crucifixi. Nihil illo pulchrius! nihil suavius! nihil jucundius.

§. 2. *Elegans ornatus à rosis.* Ad rei alicujus ornatum nihil est pulchrius rosis. Caput Auroræ Poëtæ ornarunt rosis. Facies solis sive Phœbi; genæ Veneris, scutum Achillis, galea Æneæ à priscis ornata fuerunt rosis. Imperatorum aquilas, vexilla Ducum, militum enses, Ægyptiorum pyramides, Deorum statuas, lanceam Palladis, & similia in Heroum symbolis videmus coronata rosis, sed prophana hæc sunt, meos sodales scio esse sollicitos, ut caput, faciem, genas, &c. & præsertim rosea vulnera Jesu crucifixi ornent rosis, hanc devotionem laudo & deprædico.

§. 3. *Varia rosæ mysticæ.* Dixi hactenus, orationes Dominicas & salutationes Angelicas rosarii quinque SS. vulnerum esse cœlestes rosas, quibus eadem coronamus, & ipse olim in supremo agone nos coronabit roseâ coronâ cœlestis gloriæ. Dixi sæpius, eximias virtutes, dolorem de peccatis, contritionem, fiduciam, humilitatem, &c. illarumq; actus, præsertim amoris Divini esse rosas, quibus cor Jesu delectatur. Hæ rosæ nobis parant roseum lectulum in vulneribus Salvatoris, ut olim in illo obdormiamus suaviter. Modo addo, tales rosas esse ardentia & ferventia illa suspiria ad Jesum Crucifixum, ad rosea ejus vulnera, ut obtineamus sanctam mortem.

§. 4. *Ardentia suspiria sunt sagittæ ornata rosis.* Inter varia ornata rosis, quorum paulò ante feci mentionem, non nominavi sagittas, quas tamen reperio symbola, coronatas rosis, cum lemmate: *Sic penetrant*; vel: *Sic vulnera amoris.* Puto sermonem esse de telis, quibus pudicus armatur amor. Amori vel amantibus placent rosæ. Eja amantes animæ! ecce scopum! en Jesum amorem nostrum pendentem in cruce! agite! parate sagittas; inflammate vestra desideria & suspiria ut penetrent, ut placeant magis! ut suavissimum illud cor gaudeat se vulnerari; ornate rosis! intingite illas pretioso sanguini Salvatoris; ornate rosis! erumpite in ardentes affectus amoris; suspirate millies: JESU amo te! hæ rosæ placent nostro amori. Tela coronata his rosis penetrant ipsum cor JESU!

nostra erit victoria! noster triumphus! & has rosas poterimus vocare triumphales.

§. 5. Unde appellatio rosarum triumphalium.

Publius Cornelius Scipio, reversus Romam ex Africa, primus de Hannibale triumphaturus, jussit, ut milites Octavæ Legionis, qui primi Carthaginensium castra oppugnarant, & Punici Ducis insignia sive vexilla abstulerant, in triumpho non solum in manibus fasciculum rosatum præferrent, sed imposterum semper depictas in clypeis rosas præferrent. Alter Publius Scipio Æmilianus, eversâ Carthagine, hoc honore, sive roseis insignibus honoravit milites Legionis undecimæ, qui primi inimicæ urbis muros & mœnia conscenderant & expugnarant. Ipse verò voluit, currum suum triumphalem undique ornari & coronari pulcherrimis rosis. Hinc appellatio *Rosarum triumphalium.*


§. 4. Congregatio agonia est cohors fortissimorum militum. Videant, ut sua arma ornent rosis. Inde victoria & triumphus.

Alius triumphus nobis paratus est in Capitolio cœlestis gloriæ sodales amantissimi. Corona roseæ gloriæ immarcessibilis. Sed mementote, hanc nostram congregationem non esse aliud, quam fortem cohortem fortissimorum militum, sub labaro sanctissimæ crucis pugnant, currunt, sudant, ut accipiant bravium. Modum nobis præscribit S. Paulus ad Ephes. cap. 6. v. 10 & seq. *De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli - adversus Principes & potestates - & - rectores tenebrarum harum. Ut possitis resistere in die malo*, [pulchrè in agone, &c.] *state: induti loricam justitiæ, - sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus.* Addo ego; arripite sagittas; nam addit S. Paulus vers. 18. *Per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, in omni instantia & obsecratione.* Eja sodales; vestras galeas, vestras loricas, scuta, gladios, sagittas ornate triumphalibus rosis; hoc est, vestras orationes, obsecrationes, obtestationes per Christi merita, per ejus mortem, &c. Convertite prius in purpureas rosas, hoc est, intingite pretioso sanguini SS. vulnerum Christi crucifixi: His ornati stabimus: his coronati terribiles erimus nostris hostibus: omnia tela eorum ignea extinguemus

guemus in Divino hoc sanguine. Nostra erit victoria, noster triumphus, triumphalibus coronabimur rosis.

S. Pardulpho viro sanctissimo in agone apparuit S. Michael Archangelus, & ostendit illi scalam, in cujus apice visebatur Deus, impositurus morienti coronam ex rosis immarcessibilibus æternæ gloriæ: Ecce mei sodales! scalam ad cœlum vobis ostendo. Ecce Jesum crucifixum! ecce quinque gradus; quinque sanctissima Vulnera; eja conscendite ad pedes! eja altius ad sanctissimas manus. Eja ad dulcissimum cor Jesu! Eja altius in verticem palmæ, ad coronam, spinea illa est, sed ex his spinis crescunt rosæ æternæ gloriæ. Sed unius sum oblitus, volo ut rursum descendatis; puto, ut prius hos gradus, hanc scalam coronetis, ut prius devotissime oretis Rosarium quinque sanctissimorum Vulnerum.

§. 7. *Iesus crucifixus est scala ad cœlum gradus sunt rosea ejus vulnera.*



ROSA MENSIS OCTOBRIS.

ROSÆ S. ROSÆ,

ASPERSÆ GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS, QUO PURPURATI FUERUNT CLAVI, QUIBUS CHRISTUS D. AFFIXUS FUIT CRUCI.

EXHORTATIO X.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ARdentissima Beatæ Rosæ charitas erga JESUM Crucifixum.

§. 1. *B. Rosa, rosa cordis Iesu. & sponsa ejus.*

ILlis, qui vitam B. Rosæ vel legerunt vel audiverunt, dum ego nomino rosas B. Rosæ, sine dubio occurrit caput vitæ undecimum, quod multis refert cœlestem & admirabilem desponsationem, quæ in præsentia cœlorum Reginæ facta fuit inter Jesum parvulum & beatam Rosam, ut denique Parvulus in suavissimas has erupit voces: *Rosa cordis mei? tu mihi sponsa esto!* Penetrarunt medullas Rosæ hæc verba, & velut ictu improviso exanimis in se recidit; neque invenit quid responderet, donec succurrerent verba humilitatis purissimæ: *Ecce ancilla Domini, Ecce* inquit *ancillam! ecce mancipium tuum, O Rex Majestatis æternæ! tua sum, tuam me profiteor, tua ero!* Tum interlocuta paucis B. Virgo ait: *Vide O Rosa eximium favorem, quo te filius meus dignatus est;* Domum ex sacello redux, cogitavit de præparando annulo, quem digito cordis in memoriam talium nuptiarum gestaret perpetim, cui insculpi voluit JESULUM parvulum cum benedicta matre, de lemmate inscribendo, cum consuleret fratrem suum, Divino instinctu respondit: *Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto.* Obmutuit, obstupuitq; hæc audiens Rosa, sed in corde ejus ait vita: *O amores! O quæ flammulæ! qui fervores! quàm torruerunt suaviter! quàm repserunt tenerè per medullas! O ignes! O deliciæ! O animæ æstuantis vincula tenacissima, nexus perjucundi, amplexus ineluctabiles!* Tum additur eximium B. Rosæ elogium: *Benedictus Deus, qui tam mirabilis est in Rosa sua!* Laudetur sanctissima Trinitas, cui in excelso gloriæ fastigio, inter præcipuos paradisi cives assistit Rosa. Rosa dilecta! Rosa prælecta! Rosa candidissimi Agni sponsa! magna est, sublimis est, gloriosa, præfulgida, incomparabilis es in triumphali Sanctorum

ctorum agmine. Sed redeo ad meam materiam, ne brevis exhortatio fiat Panegyris.

Hoc vos moneo sodales amantissimi! cum sciam vos sollitos de obtinenda sancta & rosea morte, in roseo lectulo dulcissimi cordis Jesu, attendite, an sitis rosæ cordis Jesu? an animæ vestræ sint ejus sponsæ! an sitis mancipium ejus? an toti Jesu crucifixi! an vestri amores; an flammulæ cordium vestrorum illi soli sint sacræ? attendite, quinam sit nexus, qui unio vestratum voluntatum cum voluntate Jesu Crucifixi? hæc unio, hi amores, hi affectus, &c. sunt rosæ, quibus, ut alias dixi, oblectatur cor Jesu. O si mihi hodie dicere liceat: Omnes mei sodales sunt rosæ cordis Jesu Crucifixi. Talis rosa fuit B. Rosa, sed vicissim cœlestis sponsus illi fuit rosa. §. 2. *Apostrophe ad sodales agonia.*

B. Rosa sedula fuit hortulana; in hoc sollicita, ut omni mense per annum ejus hortus ferret flores, ad ornandum altaria, & præsertim imaginem sponsi sui Crucifixi. Quò pulchriores terra germinabat flores, præsertim rosas, eò major Rosæ erat lætitia, Gestiebat corde, cum amœno flore suum posset coronare amorem. Unde summopere fuit contristata, cum mane in horto pulcherrimum reperit florem, sed siccum, marcidum, imo radicitus evulsum & confractum. Ingemuit Rosa & abiit, sed occurrit illi visibilis Christus, blandeque affatus virginem; *Quid doles?* ait, *annon ego flos campi?* [vel ut alii super Cantica legunt: *Rosa campi.*] *Melior ego tibi sum omni flore, omni rosa, totoque floreto paradisi. Et ut scias, me esse tuum florem, tuam rosam, ego alterum illum his manibus meis eradicavi, fregi, projeci! Flos es? Rosa es? Florem amas? ecce me! me ama!* §. 3. *Jesus, florum omnium pulcherrimus.*

Et vos mei sodales! quos & quales amatis flores? an violas, an rosas, an lilia hujus mundi, quæ citò pereunt? quorum pulchritudo momento perit? Quid doletis, si marcescant? si mors illos immiti falce præscindat? si convertat in cineres? Nunquid Jesus crucifixus & flos & rosa campi est? nunquid pulchrior? amœnior? suavior, quàm omnes simul isti flores in unum collecti fasciculum? Flores estis? estis rosæ? amatis flores & rosas? §. 4. *Apostropha alia ad sodales.*

Ecce

Ecce Jesum crucifixum! hunc amate! hunc diligite ex toto corde, ex tota anima! quantum potestis.

§. 5. B. Rosa ardens amor. Certè Rosa in amoris flammas ita exarsit, ut exclamaverit: *Domine! ecquis te non amaret? ego verò mi bone Jesu! quando te dignè amare incipiam? heu me! quàm procul disto à perfecta, intima, robustissima tui dilectione! necdum scio congruè te amare. Quis pudor! adquid mihi cor istud, si nondum id pro tui amore totum diffluxit in cineres.* Hoc affectu incalescens Rosa pro Divino impetrando amore, ex ipsa Divini amoris ignita pharetra has collegit jaculatorias oratiunculas:


§. 6. Ignitæ ejus jaculatoriæ orationes. *Domine mi Jesu Christe, Deus & homo, verè conditor & redemptor noster; quod unquam te offenderim, equidem mente discrucior; quia es, qui es, & quia te amo super omnia. Mi vere Deus & sponse animæ meæ, tota lætitia cordis mei: ego, ego amare te desidero benignissime Jesu, amore illo perfectissimo, amore efficacissimo, sincerissimo, ineffabili, intensissimo, incomparabili, incomprehensibili, irrefragibili, invictissimo, quo simul universi cives empyrei te diligunt. Insuper concupisco amare te O Deus cordis & vitæ meæ, Deus delicium meum, amare te velim, quantum te amat sanctissima Mater tua, Domina mea, Virgo purissima: quin imò te O salus, O gaudium animæ meæ, te, inquam, opto amare, quantum tu ipse mi Deus te amas. Concremer ego, deficiam ego, consumar ego igne tui Divini amoris, O mi benignissime Jesu!* Quid putatis mei sodales? nunquid talia desideria igneæ, ardentes fuerunt rosæ, quibus B. Rosa cor Jesu Crucifixi oblectavit.

§. 7. B. Rosa quàm dilecta Jesu sponsa. Profectò amor Rosæ ita placuit Christo salvatori, ut alteri S. Virgini fuerit protestatus, se Rosam gestare in intimo sui Divini cordis penetrali; & scire se, vicissim in Virgineo Rosæ corculo se solum tranquillissimè habitare.

§. 8. Epilogus. Discite artem ita amandi Jesum Crucifixum! ita quivis dicat cum B. Rosa: *Mi Deus, &c.* [fiat brevis repetitio superioris oratiunculæ.] Ita discetis artem bene moriendi! ita Jesus Crucifixus nos admittet ad intima cordis sui penetralia. [potest fieri affectuosus epilogus.]

NB. In

NB. In altari B. Rosæ, in templo RR. PP Dominicanor. Beata Rosa Beatæ Virgini & Jesulo offert sinum plenum rosis; vicissim Parvulus præbet B. Rosæ amœnam rosam. Item Christus Dominus & Beata Rosa ambulant juxta rosetum, decerpentes rosas. Hæc pictura suggerit alios roseos conceptus.



ROSA MENSIS NOVEMBRIS.

ROSÆ CORDIS, SIVE ROSÆ AMORIS,

ASPERSÆ GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS, QUO SPINEA CORONA CHRISTI D. FUIT PURPURATA.

EXHORTATIO XI.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

TAlis rosa est cordialis contritio, & ardens amor Jesu Crucifixi.

§. 1. *Iesu crucifixo placent rosa contritionis.*

§. 2. *Suavissima Christi Domini verba ad S. Gertrudem de contritione.*

§. 3. *Adhortatio CHRISTI Domini ad perfectam contritionem.*

§. 4. *Fructum experiemur in agone.*

§. 5. *Prosecutio.*

§. 6. *Amor noster erga Crucifixum debet esse constans.*

§. 6. *Prosecutio.*

§. 1. *Iesu crucifixo placent rosæ contritionis.*

SOdales amantissimi! si quod hoc anno toties petivi, Rosea Jesu Crucifixi vulnera, ornare vultis rosis, quærite & carpite illas in cordibus vestris; si vultis, hoc momento potestis elicere ardentissimos actus contritionis & amoris, hi affectus sunt rosæ cordis contriti, purpureæ à sanguine Jesu crucifixi, candidæ per cordis contriti lachrymas. Has rosas non offeretis sine fructu.

§. 2. *Suavissima Christi D. verba ad S. Gertrudem de contritione.*

His suavissimis verbis Christus D. aliquando solatus fuit S. Gertrudem lib. 3. Div. Insin. cap. 30. quia audiverat in Concione, neminem salutem posse consequi, nisi saltem tantillum veræ charitatis habeat, ut ex amore Dei pœniteat, abstineatq; à peccato, apud se cogitavit: O quot damnabuntur ex peccatoribus, quorum plerique magis dolent de peccatis ob gehennam, quam ob amorem Dei. Cum talia in corde volveret, dixit illi sponsus: *Quando video illos agonizantes, qui mei unquam dulciter recordati fuerunt, vel aliquid meritorii operis peregerunt, in ipso mortis confinio exhibeo me iis tam pium, amabilem & benignum, ut ipsi ex intimis cordis medullis doleant, quod unquam me* [in hac scilicet vocula consistit motivum perfectissimæ contritionis] *offenderint, ac per talem pœnitentiam apti redduntur ad salutem consequendam, & perire non possunt.* Occasione horum verborum hæc modo à vobis peto. Sub oratione rosarii, quæso, dulciter recordamini Salvatoris vestri, conjicite oculos in Crucifixum: dum sinistrum pedem aspicitis, recordamini doloris, amoris, sed dulciter cum compassione, &c. [hoc modo fac inductionem per alia præcipua membra,] si illa dulcedo subinde liquefaciat cor, ut stillet, ut evaporet, ut quædam fluant lachrymulæ; O quam benignis oculis illas aspicit Jesus! facite hoc fine, ut se exhibeat vobis pium, amabilem, &c. si in his cogitationibus sentiatis moveri cor vestrum, ut doleat, offensum esse Deum, & illum, qui talia passus est pro nobis, illum bonum Salvatorem, &c. laxate habenas dolori, per hanc pœnitentiam aptatis vos ad salutem, perire non poterimus; cum benignissimus Salvator viderit nos agonizantes, tum tandem se exhibebit pium & amabilem, sic moriemur feliciter.

Solatio

Solatio plena sunt pro peccatoribus verba Salvatoris, quæ dixit ad sanctam Brigittam lib. 7. cap. 27. *Nullus est tam magnus peccator, cui ego negem misericordiam, si eam humili & perfecto corde petierit. Itaque peccatores, qui mihi reconciliari, & gratiam amicitiamque meam obtinere volunt, inprimis ex toto corde doleant, quod me Creatorem & Redemptorem offenderint.* [ecce non petit multas causas doloris, sed,&c.] Dico ego hodie, qui feliciter vult mori, qui ferventi oratione Rosarii beatam mortem vult petere, doleat,&c. *Deinde expurgent se coram Sacerdote purâ humilique confessione, & vitam corrigant, ac satisfactionem impleant, juxta consilium Sacerdotis. Si hoc fecerint, ego eis appropinquabo, & diabolus ab ipsis elongabitur. Postea conveniens erit, ut & corpus meum cum devotione veraque charitate accipiant, habentes voluntatem, nunquam amplius admittendi priora peccata, & proponentes, perseverare in bono usque ad finem. Ego talibus occurram, sicut occurrit mater errantibus filiis, & libentissimè eos recipiam. Ero in eis, & ipsi erunt in me, viventque & gaudebunt mecum in æternum.* Si quis ex me quærat, quid faciendum sit sodali hujus congregationis præcipuè menstruâ Dominicâ, melius respondere non possum,&c.

§. 3. Adhortatio Christi D. ad perfectam contritionem.

Mellea iterum sunt verba, quæ Christus D. dixit S. Melchtildi: *Nullus est adeo magnus peccator, qui si verè pœnituerit, mox illi omnia peccata sua plenè dimittam,* [ast est aliquis ex vobis peccati mortalis reus, quæso hoc momento coram Venerabili pœniteat,&c. dicat: Mi Salvator doleo; hoc eodem momento dimitto tibi omnia peccata,&c.] Dulciora audite: *Cor meum tanta clementia & dulcedine super ipsum reclinabo, ac si nunquam peccasset.* Quid suavius dici potest de vi & efficacia rosarum cordis.


§. 4. Fructum experiemur in agone.

Cum eadem Virgo diceret Christo D. *Quid est, quod ego, licet miserabilis, dum me morituram recordor, non expavesco, cum tamen quandoque valde perfecti mori timeant.* Cui Dominus: *Quare timeres tu, quæ cor meum in pignus æterni fœderis, & in domum refugii, sempiternamq; habitationem accepisti.* Hoc nos quoq; agamus, ut cor Jesu crucifixi nobis sit pignus æterni fœderis; & in domum refugii,&c. nec est, cur mortem timeamus.

§. 5. Prosecutio.

§. 6. *Amor noster erga crucifixum debet esse constans.* Dum æterni fœderis facio mentionem, recordor emblematis, in quo complicatæ duæ dexteræ tenent pulcherrimam rosam cum hoc lemmate: *Sic in perpetuum*; quasi duo amantes dicant, sic mutuus amor noster instar immarcessibilis rosæ æternùm virebit. Tu mi Jesu, amator noster es, quem diligimus ex toto corde; omnes actus nostros, contritionis, amoris, volumus esse rosas; & sic in perpetuum. Ecce mi Jesu, ad te levamus dexteras nostras; junge tuas, rorantes sanguine. Ego nomine omnium præsentium sodalium meorum juro, sic in perpetuum! modo in agone, in cœlis æternùm te amabimus.

§. 7. *Prosecutio.* S. Melchtildi apparuit aliquando S. Hieron. à quo in majorem semper lucem perducta fuit usq; ad thronum Dei; alias post sumptam S. Synaxin consideranti Div. Majestatis gloriam dixit, Magna est hæc abyssus! confirma te in amore Dei. Meum hodie desiderium est, ut meos sodales semper profundius & amplius inducam in SS. vulnera Jesu Crucifixi; Sodales! in his est abyssus gratiarum, abyssus amoris, &c. profundius descendite, & confirmate vos in amore Jesu, &c. ut olim moriamur sanctè.



ROSA MENSIS DECEMBRIS.

ROSÆ MELLEÆ ET SACCAREÆ,

ASPERSÆ GUTTIS PRETIOSI SANGUINIS JESU CRUCIFIXI, QUO RIGATA FUIT ARBOR PARADISI, SIVE SS. CRUCIS.

EXHORTATIO XII.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Devotio erga SS. vulnera Jesu crucifixi est mellea, sive suavissima.

§. 1. Mel

§. 1. *Mel dulcissimum reperiunt apiculæ in rosis.*
§. 2. *Votum amantis matris de dilecto Filio.*
§. 3. *Ex mente S. Bernardi Jesus Crucifixus est rosa rubens & ardens.*
§. 4. *Melleæ quoque rosa SS. ejus vulnera.*
§. 5. *Tales rosæ debent esse nostræ orationes.*
§. 6. *Favores exhibiti S. Agneti à cœlesti sponso.*
§. 7. *Optat sodales agoniæ omnium esse participes.*
§. 8. *Mellisflua verba Vbertini.*
§. 9. *Et S. Eligii.*

MEl dulcissimum & saluberrimum apiculæ reperiunt in rosis; ideo oculis cernimus, qua cura quærant rosas, quomodo lambant omnia floris folia, deniq; in corde rosæ, se quasi abscondant, ut ibi sugant succum mellis dulcissimi. Melleas, saccareas & dulcissimas rosas amant apes. Hærent in fundo rosæ, donec oneratæ suavi pondere mellis ad alvearia sese recipiant. Sodales mei amantissimi! discite benè mori! estote apiculæ! & in roseis Jesu Crucifixi vulneribus quærite mel dulcissimæ devotionis; dulcissimi amoris, cujus vera voluptas est, amare Jesum & hunc Crucifixum. Agite! cum jam orabimus duas primas decades Rosarii quinq; SS. vulnerum, ut simus apiculæ absconditæ in vulneribus pedum. Sub tertia & quarta decade latebimus in vulneribus SS. manuum. Sub quinta decade immergemus nos fundo dulcissimæ rosæ, sive suavissimi cordis Jesu. Neq; deerit mel, vel dulcedo dulcissimi amoris. Nihil enim dulcius, quàm in corde Jesu crucifixi amare Jesum Crucifixum. §. 1. *Mel dulcissimum reperiunt apiculæ in rosis.*

Refert Perseus votum vel desiderium amantissimæ matris, quæ filio, quem tenerrimè amabat, hanc fuit apprecata benedictionem; *Quidquid calcaverit, rosa fiat.* Ego desiderium hoc nonnihil immuto, & opto ex animo, ut mox sub recitatione Rosarii omnes Dominicæ orationes & Angelicæ salutationes fiant rosæ. Sæpius corde & ore pronunciabimus dulcissima nomina *Jesu & Mariæ*; Votum meum est, ut fiant rosæ! intra spatium hujus horæ congregationis anhelabimus millies! millies se move- §. 2. *Votum amantis matris de dilecto filio.*

bunt arteriæ cordis nostri. Desidero ut omnia fiant Rosæ. Memoriam nostram cupio fieri rosam, contentus sum ut intellectus fiat rosa! ô nos felices, si omnes voluntatis affectus fiant rosæ, ut illis coronemus & ornemus rosea JESU Crucifixi vulnera. Sic simul erimus apiculæ, insepultæ, immersæ, absconditæ in his rosis! melleis rosis! saccareis rosis! & quomodo deesse poterit melleus succus, dulcissimæ cujusdam devotionis, & suavissimi amoris erga Jesum Crucifixum.

§. 3. *Ex mente S. Bernardi Jesus crucifixus est rosa rubens & ardens.*

Dulcedinem hanc fuit expertus S. Bernardus, cùm de dilecto suo dixit l. de pass. c. 33. *Rosa est rubens & ardens: Rubens sanguine Passionis, ardens igne charitatis! rore roscida lacrymarum!* O mellifiue Bernarde! Vulnera tui sponsi vocas rubeas & ardentes; cur non melleas? cur non saccareas? fare Bernarde, cum Christus Salvator tuus de cruce ad te se inclinavit, cùm dulcissimè te fuit amplexatus, cum permisit, ut mellifluum os tuum, & labia applicares vulnerato ejus lateri, ut de corde ejus sugeres lac dulcissimum: nunquid melleus fuit ille fons? cur dicis, rosa est rubens & ardens, cur non addis mellea? nunquid in hymno tuo mellifluo de nomine Jesu ais, *super mel & omnia ejus dulcis præsentia?* nunquid hoc loco benè addidisses, Jesus Crucifixus rosa est rubens & ardens, super mel & omnia, dulcissimus amor vulnerum Salvatoris. Cum dulcedine frequenter repeto melliflua verba S. Bernardi, *Nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm IESVS Dei filius. Iesus dulcedo cordium! fons vivus! excedens omne gaudium, & omne desiderium. Nec lingua valet dicere, nec litera exprimere, expertus potest credere, quid sit IESVM diligere.*

§. 4. *Melleæ quoque rosæ SS. vulnera.*

Ego cum cogito, sanctissima Jesu Christi crucifixi vulnera esse rubentes, ardentes & melleas rosas, suaviter mecum murmuro, *Nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius quàm Iesu Crucifixi vulnera.* Mellea hæc vulnera, saccareæ hæ rosæ sunt dulcedo cordium, ô melleos fontes, excedentes omne gaudium, & omne desiderium. *Nec lingua valet dicere, nec litera exprimere, expertus potest credere, quid sit amare Iesu vulnera.* Mei sodales, estote apiculæ, quærite has rosas, illis vos includite

ncludite & gustate, quàm suavis & dulcis, quam mellea sit devotio, erga benedicta illa vulnera. Sunt rosæ melleæ & saccareæ.

§. 5. *Tales rosæ debent esse nostræ orationes.*

Sed simul advertite; si desiderio meo fieri debeat satis, ut hac hora Congregationis omnes nostræ cogitationes, omnes affectus, omnia desideria, omnia verba, omnes obsecrationes & obtestationes, omnia suspiria, &c fieri debeant rosæ, ad ornanda rosea Jesu Crucifixi vulnera, quales esse debeant; Nimirum rubentes à guttis pretiosi sanguinis, quas lambimus in vulneribus Salvatoris, ardentes à scintillis, quas spargunt cœlestes illæ vulcaniæ; foridæ à lacrymis contriti cordis; melleæ, saccareæ ob succum tenerrimæ devotionis erga vulnera Salvatoris.

§. 6. *Favores exhibiti S. Agneti à cœlesti sponso.*

Favores planè peculiares cœlestis sponsus Jesus exhibuit dilectæ suæ sponsæ S. Agneti. I. Dedit illi cor immaculatum, ut esset aptum amando Deo. II. Omnes ejus horæ, quas vixit, fuerunt aureæ & igneæ, ob Dei amorem, quo flagrabat. III. Ornavit illam inæstimabilibus margaritis, & immensis monilibus. IV. In medio flammarum expassis brachiis ardentissimè oravit. V. Dexteram ejus cinxit lapidibus pretiosis. VI. Induit eam aureâ cyclade, lotâ in sanguine suo. VII. Melleus fuit favor, quod ex ore Jesu susceperit lac & mel. Deniq; illi promisit thesauros incõparabiles.

§. 7. *Optat, sodales agonia omnium esse participes.*

Sodales amantissimi SS. Agnetem cupio esse magistram vestram, ut ab illa discatis artem sanctè moriendi. A Jesu crucifixo petite cor immaculatum, aptum amando Deo. Videte, ut omnes horæ vestræ, sed potissimum hæc hora congregationis sit aurea & ignea, ob amorem, quo flagratis erga Jesum crucifixum. Mox orabitis rosarium quinque SS. vulnerum, si non brachia, saltem corda expandite & accendite, ut oretis in medio flammarum & ignium, quibus ardent Seraphini. Animas vestras lavate in sanguine Agni, ut coram throno SS. crucis compareatis in Cyclade aurea charitatis. Ita, non ex ore tantum Jesu crucifixi, sed ex quinque SS. vulneribus suscipietis lac & mel. Sic gustabitis, eadem esse melleas & saccareas rosas. Amor, reverentia, devotio, quâ illa prosequimur, non potest non esse mellea & saccarea.

§. 8. *Melliflua*

Addo suavissima verba, quibus uti solebat Ubertinus de Casali, fuit

§. 8. verba Ibertini. fuit Relig. S. Fran. peculiariter affectus quinque vulneribus, sic loqui solebat: *Veni anima mea, & ingredere benedictam domum tuam. Quid foris manes? profuge ad locum tabernaculi admirabilis, ad terram promissionis, ad sacratissima Domini Jesu vulnera, non jam lacte & melle, sed Divina benignitate & suavitate manantia. Ingredere ergo, & cave egredi cor Divinum & amabilis Salvatoris tui, in quo es, quidquid es, & extra quod non bene es.* Præcipuè in agone, O quam malè illis, qui in agone sunt extra cor Jesu - contra, O quam benè! qui erunt in corde Jesu [ad Angelos publica professio nomine congregationis velle nos manere, latere & mori in latere Jesu.] *Occlude itaque anima cordis Jesu ostium, in hoc cubiculo te contine, in hac urbe refugii, in qua secura, nullum hostem timeas; extra quam - necesse est, ut pereas, uti peribat nocens, quisquis in lege veteri extra refugii urbem deprahendebatur.* Fac pulchrum epilogum, ut in agone deprælendamur in corde Jesu.

§. 9. Et S. Eligii. S. Eligius orare solebat: *Aperi mihi Domine, aperi mihi latus tuum, & cor Divinum lanceâ apertum, ut principes tenebrarum non occurrant mihi, nec me conturbent potestates aeris, sed hoc sanctum vulnus tuum* [in die malo] *protegat me, & potentia tua defendat me.*

FINIS.



